


MAGNA
EST
VERITAS,
ET
PRÆVALET
Esd. 3. c. 4.
LANX
PERIPATETICA


Nazionale
NAPOLI

LANX PERIPATETICA

QVA

Vetus Arcani Physici Veritas appenditur.

ET

AVCTORIS MVNDI SVBTERRANEI, noua obiecta

Reuocantur ad pondus

A

VALERIANO BONVICINO

N. Ver. Sac. Theol. Phil. &c. Doctore.

In Almo Patauino Archigymnasio Peripateticæ Phil. Interprete.

ET

IN ACADEMIA DELIA

Mathematicarum Militarium Profess.





Patauij, Typis Heredum Pauli Frambotti, 1667.

Superiorum Permissu.


SERENISS.[MO] PRINCIPI,

AC D. D.

FERDINANDO MARIÆ,

S.R.I. Electori Archidapifero:

Vtriusque Bauariæ, ac Superioris Palatinatus Duci: Landgrauio Leichtembergico, &c. D. D. meo Clementiss.



INTER occultiora Naturę & Artis Mysteria, nullum dignius tegitur (Archidapifer Elector Serenissime) quod æquè Diuini Numinis infinitatem, & potentiam elucidatum demonstret, quàm Physici Arcani Magisterium; siqui-

dem hoc Mundum ipſum vniuerſum, non ſolum in cunabulis contemplatur, verum etiam augmentatum in adoleſcentia, & in virili vbertate propagatum, perenniſq; ſobolis ſucceſſione refertum latè comprehendit. Hinc nullo non æuo clariſſimi extitere Philoſophi, qui huiuſcemodi ſublime opus poſſibile aſſererent, quinimmò Orbe vidente facilè producerent: Etſi in ignota, ac ignorata principia, omni tempore è contrario inſurgentes oſores non defuerint. Alij quidem odio in Artem, ut puto, quam non caperent: Alij zelo ducti, agnita difficultate finis, quo imperitam auarorum turbam à tanto molimine arcerent. Inter quos non multis ab hinc annis magni nominis Autor, prodijt cum ſuo Mundo Subterraneo: In quem præteritis diebus fortè cum incidiſſem, vt reconditam eius ſcientiam

ſu-

ſuſpexi, & recolui, ita profuſis eius contumelijs, quibus Artem excellentiſſimam afficit, haud acquieſcere potui. Non quod meum ſit hoſtire, & viros doctos inſectari, ſed quod Sapientum animabus, glorioſis iam retroactis triumphis, alienos inſultare iniquum pertuli, & non æquo ferendum animo, ſæuire viuos in mortuos, ac piorum ſepultis manibus inclementer dicere, cenſui. Quare Lance hac Peripatetica, quæ nimium acriter ab Aduerſario prolata ſunt pacatiori quidem animo ponderanda mihi, & examinanda breuiter aſſumpſi: Diuinam in Natura potentiam, quo ad licuit, vindicando.

Cum ecce Superno datum Numine, ut Tu Elector Sereniſſime huc accederes, Patauinam Antenoris Vrbem luſtraturus inſigneſq; Diui Protectoris Antonij reliquias, non mino-

ri Pietate veneraturus: Quo facto, tanti Patroni præsentiam cœlitùs mihi oblatam recolendam ratus, eo nitendum duxi, vt humilimam, & perquam vetustam meam in Augustissimam Bauariæ Domum reuerentiam, præcipuè ob Gloriosissimorum Parentum memoriam, nouaque in tuam Serenissimam Celsitudinem obsequia, tàm felici Sidere reflorescerent.

Sanè sub tantæ Cesareę Domus auspicijs, innumera iamdudum viguerunt ingenia, quæ benignis aucta incrementis, præclaræ Sapientiæ radijs ubique micuerunt: quorum ego vestigia, licet à longe, pro virili sectando, quanto meritis impar, tantò Gratia fortassis auctior, Veritatis tandem vindex haud inanis existam.

Tu interim Dux Serenissime exile hoc qualecunque sit obsequentissimi animi tributum accipe; In operis te-

nuitate Arcani magnitudinem, propitio, ut assoles oculo contemplare; & offerentis obsequia pro tua ingenita Electorali Clementia (quo nunquam alius feliciori glorietur patrocinio) prosequere: Et dum Germania tua reducem te, Patriæ Decus, & Columen, incolumen præstolatur, secundet tua vota Deus, & piè cœptis, feliciter aspiret. Vale.

Serenifs. Tuæ Electoralis Celsitudinis.

Humilimus, obsequentifs. addictifs.
seruus
VALERIANVS BONVICINVS.

AD LECTOREM BENEVOLVM
PRÆFATIO.



NE offendare Lector beneuole, quod in huius operis limine Chymicum nomen intuearis, quod nostro tempore, adeò prudentum virorum auribus officit, vt vna hac voce, omne inquinamentum inuolui arbitrentur. Neque etenim me, in Alchymistarum vilissimum vulgus adscriptum velim, quod Author, quem ego hac Lance librandum assumo, meritò omnium maledictorum conuitijs insectatur, namq; talium patrocinium nequaquam suscipio, quos ipse diris, ac inferis, utpote vita indignos deuoueo.

Veneranda sanè, ac veluti sacra Magorum, Astrologorum, Chymicorum nomina noui & ego vulgo pessimè audire, siquidem ab abiectis & ignaris homuncionibus immeritò assumpta, Præstigijs, Ariolatio-

lationibus, Mantijs vanissimis, imposturis, deceptionibus, fraudibus conspurcata, in contemptum, derisionem, ac ignominiam cessere; cum tamen in sua puritate considerata, summam Naturæ, & eius operationum, ac virium notitiam, Cælestium motuum, ac siderum, & eorum, quæ in inferiora influunt exactã peritiam, Naturaliũ rerum primitiua principia, & mutuam earundem adinuicem commigrationem inuoluant.

Et hæc sunt, quæ Veteres summa disquisiuere solertia; Quæ Adæ Posteri, lateritia, ac marmorea columnis incisa ab interitu vindicanda iudicarunt, quæ Ægyptij uarijs exarata Hieroglyphicis Æribus, Marmoribus, Obeliscis incisa, posteritati transmittenda decreuere.

Non tamen negari potest, plurima temporibus nostris Cognitioni additamenta accessisse, cum Telescopij beneficio, mortalium ingenia semetipsa in cælos intulere, ubi

Medicea Sidera, Solares maculas, Lunares inæqualitates, Saturni, ac Iouis satelitiũ, Martis, ac Veneris aspectus varij sese in conspectum dedere; quin tantus toto cœlo, hactenùs ignotarum stellarum innotuit numerus, vt inanis, ac improbus omninò euaserit Philosophi labor, quo cœlorum monastricitatem ostendere nititur, eiusque sufficientem rationem inuestigare: Vt ea, quæ prorsus sensum fugiebant conspicua effecta, Hippocratis videantur dogmata confirmare, quibus rerum generationem occultorum manifestationem esse docuit.

Quantum verò Philosophia debeat Alchymiæ laboribus, exacta, quæ indies augescit naturalium Principiorum notitia satis ostendit; quæ etenim intelligibilia duntaxat, & vix intelligibilia habebantur, hæc sensibus obijcit, & cuncta Meteorismi portenta, proprijs manibus elaborat, vt quicquid in aperta aeris immensitate admirandum, natura sensibus tradidit, idipsum

Ars

Ars in occlusis cubiculis ostentare non vereatur.

Harum quoad licet rerum notitiam, satagit Author Subterranei Mundi aperire, clariora tamen, & longe copiosiora in dies daturus est ingenij solertissimi, ac perspicacissimi rerum occultarum indagator Dominus Franciscus Trauaginus, e cuius dignissimis obseruationibus plura edere possem, sed quominus ei debitam palmam praeripiam, ab ipso expectanda iudicaui. Ego Philosophos tantum ab iniquo iudicio, & iniusta in eos data censura vindicabo, & siquid in Philosophia exactioris elucidationis habuero, communicabo. Vale.

IN-

INDEX CAPITVM,

Et materiarum, quæ in hoc Opere continentur.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CA-

CAPVT V.

In quo examinantur varij modi conficiendæ tincturæ Physicæ, ab Authore Subterranei Mundi propositi, ex authoribus Chymicis desumpti.

CAPVT VI.

Argumenta Authoris, contra Morienis dicta, ac Turbæ Philosophorum prolata, examinantur.

CAPVT VII.

Examinatur perfectum Magisterium è Raymundo, Azotho aliisque desumptum, ab Authore Mundi Subterranei introductum; vbi de vita, ac vi vegetatiua, & multiplicatiua metallorum differitur.

CAPVT VIII.

In quo varia Chymicorum tentamina, ab Oppositore asserta, examinantur, & discutiuntur.

Exa-

CAPVT IX.

Examinantur obiectiones, quas idem contra se format; Vbi de Artis vetustate, ac veritate, disseritur.

CAPVT X.

Examinantur contenta in Authoris cap. VIII. de dolis, ac deceptionibus Alchymistarum, vbi lapidis Magisterium, iuxta Philosophorum placitum, quoad licet aperitur.

CAPVT XI.

Alchymia Sophistica, ab Authore proposita expenditur, vbi varia eius asserta confutantur. Simulque licita eius Alchymia examinatur, & de varijs augmentis ab ipso approbatis agitur; deque eorum vanitate, aut veritate, disseritur.

CAPVT XII.

Expenduntur dogmata capitis 3. lib. 12. sec. 4 in quo positis quibusdam generalibus principijs, varia experimenta deducuntur, &

pon-

ponderantur. Vbi de igne, lumine, ac dia phano.

CAPVT XIII.

In quo ponderantur experimenta tincturarum, vbi & argumenta Authoris, nullitatis conuincuntur.

CAPVT XIV.

In quo ex auctoritatibus ab Authore in contrarium adductis, Arcani Physici veritas eluctdatur.

CAPVT XV.

Varia Physica dogmata, ab Authore proposita in varijs libris examinantur, & eorum veritas libratur.

CAPVT XVI.

De rerum omnium primario principio, ac de Vniuersali Naturæ semine, & specifico.


CA-

CAPVT XVII.

De consensu huius Philosophiæ cum principijs Peripateticis.

CAPVT XVIII.

De concursu seminis uniuersalis ad rerum productionem, & conseruationem.



INDEX RERVM.

A

Co-

F

G

H

I

L

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore di Padoua, nell' Opera intitolata *Lanx Peripatetica qua vetus Arcani Physici veritas appenditur*, nõ esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Catholica, & parimente per attestato del Secretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza à gli Heredi di Paolo Frambotto di poterla stampare, osseruando gl'ordini, &c.

Dat. à 29. Agosto 1667.

(ANDREA CONT. Cau.Pr.Ref.
(ANGELO CORRER Cau.Pr.R.
(NICOLO' SAGREDO C. Pr.R.

Angelo Nicolosi Secr.

Ne

Ne grauere Lector beneuole, quæ irrepserunt Errata reponere; Autoris etenim absentia non voluntaria, inobseruata dimisit: quare quæ ille inuitus neglexit, humanitate quà polles, lubens suppleto.

ERRATA			CORRIGE.
Pag.	Lin.		
1	4	Æquitis	Equitis
28	6	Sis	Scis
29	26	male	mole
32	1	ſpargiricam	ſpagiricam
33	3	cihationem	cibationem
ib.	9	ptoiectionem	proiectionem
35	22	& vt	adeòut, &
37	5	rectaret	reſtaret
44	2	ſolatum	ſolutum
49	10	depurantis	depuratis
67	12	modi cum	modicum
69	21	quàm	quam
71	3	Naturalis	Naturalī
73	5	qua	quà
80	2	cuneas	currens
90	17	&	eæ
94	10	docet	docere
97	3	dicit	dicat
136	13	efficijtur	efficitur
147	16	ſacco	ſucco
164	6	Ponte	Pontes
165	11	Lorenenſium	Lotharingenſium
174	17	manià	manicà
181	12	ſut	ſunt
ib.	13	phyſticutiones	phyſticationes
ib.	20	quia	quin

186	17	oriri	sciri
188	5	9. 2.	q. 9
191	17	videamus	videmus
204	8	poterunt	poterant
209	18	continuetur	continetur
214	20	eà	ea
218	13	augumenta	augmenta
222	3	Flumbo Perro	Plumbo Ferro
224	26	nullu	nullo
258	2	perfectiore	perfectione
ib.	22	petis	poris
259	7	particularem	particularum
263	2	hac	hanc
ib.	7	Abia. Aber.	Abu. Abu
270	20	Bisinatum	Bismutum
271	19	Calaminosis	Calaminaris
ib.	26	Cerafte	Cerussæ
272	22	Aurificij	Aurifici
286	13	Ipsi	Ipsos
289	26	Habeat	habent.
335	5	Metallicis	Metallica
336	8	humidam	humidum
337	18	idoneam	idoneum
ib.	26	fixa	fixam
339	12	vices	vires
ib.	23	decidere	diffidere
341	7	ati	at
344	20	Secunda	Prima
348	9	ipsè	ipse
354	8	Ollæ	Hallæ
ib.	10	aliæ	alibi
357	25	Antimonij	Antimonio
360	14	Sexcentorum	Sexcentarum
361	6	Oceanis	Oceanus
365	3	quas	quæ
ib.	21	docet	docet
365	8	quia	quin
ib.	17	aditque	additque

369	14	ferum	ſaxum
374	19	comixta	commixta
375	2	cinere	calce
388	23	habeat	habere
401	11	affumendo	aſſumendo
404	12	Terræ	Terra
405	1	optationem	aptationem
411	21	deletat	deletas
413	19	diuarſum	diuerſum
416	26	otijs	varijs

LANX PERIPATETICA:

CAPVT I.

Occasio scribendi proponitur.



Vm de more Venetijs, in ædibus Illustriss. atq; Excellentiss. D.D. Nicolai Sagredo Aequitis, ac Diui Marci Procuratoris agerem die quadam obsequij causa, cuius Amplissimi Senatoris otium, vel inter grauissima Reip. negotia, in varia eruditorum librorum lectitatione impenditur, in Mundi Subterranei tomum alterum incidi, quem cùm curiosiùs aperuissem, pars illa se mihi obtulit, in qua Chrysopœiam non modò, sed ipsum Arcanum Physicum, eiusque authores acerrimis insectatur conuitijs; adeò vt nulli scomati, sannis nullis, nullis verborum contumelijs parcens, ipsos e rerum natura (quãtum in se est) eliminare nitatur.

Mirari primùm cœpi, Virum alioquin

quin in abſtruſiſſimarum rerum notitia apprimè verſatum vltra aſſuetos moderationis limites, adeò acriter in magni nominis viros inſurgere, cuius maximè erga occultiora ſtudia propensũ animum, dudum noueram, cum eundẽ Romæ anno 1648 conueniſſem. Tum ea ſubijt mentem ratio, quod cum Homines alioquin pietati dediti, animos facilè in proprias cupidines inclinatos, arcere nequeant, & ipſa bona, damnãt, vt vel ita deterriti, periclitari deſiſtãt, & eò minus in deteriora labantur.

Ego qui in Philoſophico ſtudio a primis annis operam omnem impendi, & quominùs in ſola eiuſdem theorica, vanis argumentorum ludibrijs aerem verberans, ſcholaſticorum more in vocibus duntaxat ludens, verbalem naturæ notitiam adipiſcerer, ipſa quoq; praxi, eſſentias rerum tentare, & ex earum reſolutione, compoſitionem, & intimiora principia perueſtigare decreui. Hinc præcipuos authores euoluẽs, admiranda naturæ ab illis tradita obſeruaui, & modum quem hæc in rerum

pro-

productione seruat, subtilissimis eorum vestigationibus penetratum, eiusdem in omnibus vniformitatem seruatam animaduertens, ad vlteriorem promotionem inseruire posse cognoui.

Suspexi rerum ad inuicem commigrationem, ac transitum, salium præcipuè in quibus ab interitu præseruatur natura, commigrationem, ideoque vegetantium commutationem ad inuicē; insitionem seminū, commistiones promiscuas, vires, ac virtutes, vt non absurdum iudicauerim idipsum in mineralibus euenire posse, siquis eàdem facilitate, horum radices, ac semina obtinere valuerit.

Aduerti præterea Philosophorum altercationes de rerum initijs ad chymæras reduci, & ad vocales differentias, qui si probè intelligantur, non vsque adeò dissident, quin conciliari non difficilè possint in plerisq; esto non in omnibus eorum placitis, cum multa sint in Peripatetica doctrina à veris dogmatibus aliena, vtpotè mundi ac temporis vtrobique perennitas in Ari-

ſtotele, omnia materialia principia in Democrito; partes homiomeræ in Anaxagora, & ſic de cæteris, quibus ſublatis, cum ad miſtorum compoſitionem deſcenditur, in vnum omnes conuenire, non difficile fuerit oſtendere.

Id ſanè dudum agitaueram mente, vt in effectum deducerem, primoque Hermeticæ doctrinę principia veluti iacto fundamento firmare; mox Peripateticum loquendi modum, inde Democriticum adaptare, vt hinc appareret Philoſophos etſi vocibus videantur diſcordes, in eodem tamen rerum Naturalium peritià conſentire.

Cæterum cum iniquam Hermeticorum cenſuram ab authore Subterranei mundi latam æquo ferendam animo non ducerem, tantorum Sophorum placita probaturus, hanc in primis examinandam duxi; vt à conuicijs liberata dogmata, faciliùs in auſcultantium animos ſeſe inſinuare valeant.

Proteſtor hoc loco, me omnibus Fuminendulis impoſtoribus nullo pacto aſſentiri, quos omninò deteſtor, cum

ijs qui ſine præuio veræ Philoſophiæ fundamēto auro inhiantes, vanos proceſſus venditant, iniquum lucrum captantes, quo arti nobiliſſimæ ſimul ac veriſſimæ imponunt, eamque deturpantes reddunt exoſam, quos e Republica meritò eliminandos cenſeo, ipſo teſte Magno Alberto: namque qui per alba albificant, & per citrina citrinant ſeruata eadem ſpecie metalli, deceptores ſunt, & impoſtores.

His itaque miſſis factis, Mundi ſubterranei aſſerta primùm examinabo; inde ad Philoſophiam conuerſus, quid de Natura eiuſque operationibus, cum ipſo authore ſentiendum diſpiciam; Demum Hermetica, Ariſtotelica, ac Democritica placita, in quo conueniant, aut differant, paucis examinabo.

CAP. II.

Mundi Subterranei dogmata proponuntur examinanda.

IN Mundi Subterranei par. 2. lib. 11. ſect. 2. ſuſcipit Author aurifici lapi-

dis examen instituendum, quod capitibus 9 absolutum, pluribus conuitijs quàm syllabis, in omnes Philosophos indistinctè inuehitur, eosdem exagitat, & criminatur. Nos singulorum capitum contenta breui exponemus, vt singula Lance Peripatetica ponderantes, iniquum de maximis viris iudicium auertamus. Vel eo magis, quod vix persuaderi possumus, hanc de Physico arcano opinionem, ab ipso authore vt apparet, sincerè defendi, quod ab eius singulari rerum notitia, prorsùs videtur alienum.

Primo ergo capite, lapidis Philosophici definitionem ponit; tum eius materiam, e Sybillino oraculo depromptã conuitiatur, quod ipse de Deo homine exponens, vanam Alchymistarum conjecturam insectatus eosdem irridet: Mox de metallorum genesi, deque eorum primordiali materia differit; inde de Lapidis processu, ac praxi sermonem instituit.

Secundo capite, de transmutatione agitur, & an metallum vnum, in aliud

verè transmutari possit disquirit, vbi varios sed irritos labores, variaque experimenta recenset, ac confutat.

Capite tertio, Praxim lapidis Physici, a Raymundo (ad litteram) & Azotho depromptam refert, ac examinat.

Cap. IV. Idem argumentum exequitur, in quo variorum Authorum doctrinam recenset, ac refellit.

Cap. V. Examinatos processus, rationibus Physicis confutat, eorumque impossibilitatem demonstrare profitetur.

Cap. VI. Frustranea esse omnia Alchymistarum tentamina, ex Arnoldo, & Paracelso, contendit ostendere.

Cap. VII. Obiectionibus, quas contra se facit, occurrens, easdem resoluit, ac refellit.

Cap. IIX. Pseudochymicorum fraudes, ac deceptiones enumerat, irridet, & execratur.

Cap. IX. Dæmonem vtplurimum Alchymię cultoribus se immiscere docet, quo artem impiam, execrendam, & ad inferos relegandam contendit; leges

& canones, cum cenſuris in Alchymiæ operatores latas adducit, nullo Philoſophorum, aut Sophiſtarum diſcrimine. Et hæc eſt ſumma totius diſquiſitionis, hoc Opuſculo trutinatę.

Nos ſingulorum capitum doctrinam colligemus & enucleabimus, vt inde clarè appareat quàm immeritò, in inſontes, Author prænominatus exarſerit.

C A P. III.

In quo de materia lapidis agitur: Variæ eius definitiones proponuntur & examinantur: Item nonnulla de Virtute multiplicatiua: De eius principijs, & nominibus.

BInam definitionem Lapidis hoc capite, proponit Author quam Alchymiſtarum eſſe profitetur; à quo tamen deſumptam, non meminit. Prior eſt: *Lapis Philoſophorum, eſt magnum artis myſterium, ſeu uniuerſalis medicina, quæ non modò corpus humanum validum, in ſuo vigore conſeruat, læſumque priſtina ſanita-*

ti restituit, sed etiam ipsa imperfecta metalla depurando, decoquendo, & natiuum colorem ministrando, ad summum finem, quẽ Natura intendit, breui temporis spacio, in purum aurum, argentumque transmutat, in infinitum multiplicabile.

Alij talem ei definitionem assignant. Lapis Philosophorum, est purissima, fixa substantia metallica, quæ supra metalla proiecta in finita quantitate, illa in verum aurum, aut argentum conuertit, & humanum corpus in suo vigore conseruat: Vel quæ metalla a Natura summè depurata frequenti solutione, ad secundam generationem perducit.

His positis; vt lectorem ad irrisionẽ excitet, subdit. *Hoc, alij elixir, alij tincturã, quæ omnia metalla in aurum, argentumq; substantialiter tingit; adeò vt si mare foret Mercurius, illa superiecta, lapidis benedicti, vt vocant, medicina, illud fit in aurum, argentumque pro lapidis rubri, aut candidi ratione, transmutatura. Iuxta illud Augurelli*

Ipsius at tenui proiecta parte per vndas
Aequoris, argentum si viuum tunc foret æquor

Omne, vel immensum verti mare possit in aurum.

Quibus se rectè sentientium Philosophorum ludibrijs sannisq; exposuisse, Philosophos hosce declamat.

Sed sistamus gradum quæso. Velim etenim mihi Author dicat, quisnam Philosophorum has lapidis Physici definitiones tradiderit? Sanè, cum alios Elixir, alios Tincturã dicere asseueret, lapidis esse nequeunt definitiones: Elixir enim, & Tinctura, varij, & distincti lapidis termini sunt, priùs enim est Elixir, quàm Tinctura. Et licet à varijs variè hi termini vsurpentur, cum non benè constet de re, multò minus de definitione constabit. Non est nouum, rem inchoatam pro perfecta vsurpari, totum pro parte, & è contra; attamen definitio essentialis, non æquè parti, ac toti, neque rei inchoatæ, æquè ac perfectæ competit.

Fateor, ex Philosophorum scriptis, has lapidis virtutes colligi posse, ei etenim insunt; cæterum, cum definitionem opporteat, ipsius rei essentiam

explicàre, essentia, non effectus in definitione ponenda. Sanè, si quis Deum definiens diceret, eum esse rerum omnium creatorem, non benè definiret, cum in hoc non consistat ratio Diuinitatis, sed sit aliquid consequens ad essentiam, non necessariò, sed libere; ita se habet, de lapide.

Aptiùs igitur longè Castrensis, in Præfatione in Morienis opus, ex Hermete; *est* inquit *substantia corporea, ex vno & per vnum composita*. Quasi dicat; substantia corporea, ex vna vnica re in Natura, quæ rerum omnium est primordialis, & seminalis materia; per vnum vniuersale agens, ad perfectionem deducta. Vnde sequitur, *pretiosiora ad inuicem per cognationem coniungens, & eadem naturali commistione ingenijs melioribus naturali coniunctione conuertens*. Sed clarius; est (lapis Physicus) substantia purissima, ex rerum omnium semine depuratissimo composita, omni rei miscibilis, & perfectiua omnium cui miscetur. Et hæc est essentialis; esse etenim miscibilem, & perfectiuam, est illi essentiale, non verò misceri. Sed

Sed demus has definitiones à cõtrario positas, bonas esse; an propterea rectè sentientes Philosophos in cachinos promouebunt? adeò ne mirũ est rei alicúi virtutem radicalem inesse, vt si toties multiplicetur, infinitæ quodammodo actiuitatis, sit futura? Anne hi Philosophi irrisissent Archimedem, qui machinis terram se moturum iactabat? sanè P. Casatti suus, vir celeberrimus, in libello, de terra machinis mota, machinas varias determinauit ad id opus idoneas: Quid si & multiplicarentur? an non vniuersum orbem quantumuis ponderosum, seu potiùs, molem Vniuersi, vel infinitè propemodum grauẽ, moturus fuisset?

Sed à Geometria, ad Physicam progrediamur. Quis diceret vnicum peponis semen, in tantum multiplicandũ, vt decima, vel vndecima reuolutione, orbem vniuersum sit peponibus impleturum? En tibi tabellam tuæ consimilem, in qua deridendam lapidis multiplicationem pag. 208 proponis.

Malopeponis semen, dat peponem, cui

cui minimùm semina insunt quingenta.

Prima reuolutione; vnum dat	500
II.	250000
III.	125000000
IV.	62500000000
V.	1325000000000
VI.	15625000000000000

Hoc est, quindecies mille millionum miriades, sexcenti vigintiquinque milliones millionum. Quid si vlteriùs progrederemur? arenæ numerum æquabimus, qui vniuersum sit impleturus, iuxta digressionem Blancani. Quid si papaueris semen assumpseris, cuius granum vnum, dena millia & vltra, vnica vice producit? Ecquid hoc rectè sentientes Philosophos ad risum moueat? vt vnicum malopeponis semen tot producat pepones. Bene sanè D. Augustin. *miracula quæ fecit Dominus Iesus Christus, sunt quidem Diuina opera, & ad intelligendum Deum, de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit, & miracula eius, quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate* Tract. 24. in Ioan.

duitate

duitate voluerunt, itaut panè nemo attendere dignetur opera Dei mira, & stupenda, in quoibet seminis grano; secundum suam misericordiam seruauit sibi quadam, qua faceret opportuno tempore, prater vsitatum ordinem cursumque natura, vt non maiora, sed insolita videndo stupeant, quibus quotidiana viluerunt. Quis diceret, modicum croci, ingentem vim aquæ, suo colore inficere nisi videret? Et si ex aliqua croci quantitate, essentiam extraxeris, putas non plura tinget? qualia ergo sunt in hac virtute ridicula?

Miratur insuper, hanc penè omnium rerum similitudine describi. *Hunc enim*, inquit, *vocant Cœlum, Chrysosperma, semẽ auri, terram benedictam, aquam viuam, lignum vita, sigillum Salomonis, ignem Natura, lac Virginis, Mercurium Philosophorum, Draconem, Aquilam, Coruum, Laton, Elixir, omnium morborum medicamentum, de quo qui bibit non moritur, & similia, partim ridicula, partim irreligiosa.*

Magnam profectò admirationi præbuerunt ansam hæc nomina! sed rei vniuersali, an non omnia singularium

nomina conueniunt? ſanè quidquid de particulari dicitur, id de vniuerſali verificatur. Docent hoc regulæ Logicæ; profectò, ſi homo loquitur, ſi ridet, ſi ſcribit, loquitur, ridet, ſcribit animal; ſi ratiocinatur homo, rugit Leo, mugit Bos, Canis latrat, ratiocinatur, rugit, mugit, latrat animal viuens, corpus, ſubſtantia. Sed videamus quàm apte hæc Epiteta iam confecto lapidi conueniant; modo eidem dum efficitur, modo cum eſt in primordijs, modo materiei paratæ, modò parandæ, & dum ad perfectionem perducitur; vt ceſſet omnis admirationis occaſio.

Varias nominant operationes Philoſophi, in quibus eorum materia varios perfectionis gradus nãciſcitur. Chryſoſperma, ſeu ſemen auri dicitur, quia ex metallica radice componitur, eaq; defœcatiſſima. Terra benedicta, quia cũ lapis totus fuerit in terram conuerſus, vt docet Hermes, eius virtus eſt integra, quare omni benedictione dotata, benedixit quippe Deus omnibus quæ fecerat, quia erant valdè bona; & hoc

est inter opera Diuina, a Natura siquidem Dei opere Arte ministra conficitur. Aqua viua, quia eius origo, & vnde principium sumit, est spiritus Vniuersi omnibus vitam tribuens, qui in forma aquæ claræ a Philosophis conspicitur. Lignum vitæ, quia quemadmodũ illud hominem a morte, hic a morbis eripit. Sigillum Salomonis; conuenit hoc nomen cuidam herbæ ad medicos vsus idoneæ, quid mirum si & vniuersali medicinæ adaptetur? Ignis Naturæ: quia reuera est talis, est siquidem calor naturalis quo res omnes vigent, huius materia. Lac ob candorem: Virginis quia e terra est, quæ nullum vnquam protulit fructum. Mercurius Philosophorum quia ignorantum non est, neque vulgi, neque eorum qui eum non agnoscunt. Draco ob igneam virtutẽ. Aquila ob volatilitatem. Coruus, ob nigredinem apparentem in opere. Laton quia initio est aqua immunda, siue corpus immundum, & fœculentum. Elixir, quia elixando materiam, coagulatur, Morborum omnium medicamen-

tum,

tum, quia eſt reuera tale. De quo qui bibit non moritur: duplicem ſenſum poteſt hoc effatum habere; vel de terra aquam ſuam bibente, qua mediante dicunt vitæ reſtitui; vel quia hominem ab ægritudine curans, eum vſque ad præfinitum ſibi vitæ terminum præſeruat incolumen. Prior tamen ſenſus, eſt magis proprius. Quid in his quæſo ridiculum; quid irreligioſum?

Relegat deinde lectorem ad Hermetem, ad fabuloſum Treuiſanum, ad Azothum, ad Morienem fictitium. Vnde verò fabuloſum Treuiſanum, Morienem fictitium, aut ſuppoſititium Azothum adeò liberè pronunciet, non video, neque qua authoritate innixus, e legitimis authoribus illos expungat. Opportebat enim, aut fabulas Treuiſani recenſere, aut authoritatem contra ſuppoſitum Morienum afferre, qui à magnis viris pro vero, non ſuppoſito authore, pluribus ab hinc ſæculis ſemper fuit habitus; eumque ipſe Lullius Morienum fidelem ſenem appellat; niſi fortè authores illi, quos horum irriſo-

res citauit, ex ijs sint, qui hoc afferant, de quibus magis verè dici potest, quod Anonymus in Arcano Hermeticæ Philosophię de talibus pronunciauit, *quod quia non innoxio labori incubuerunt, arcana Philosophiæ Primicerios falsitatis, Naturam impotentiæ, Artem præstigiorum insimulare non desinunt: haud alia prorsùs ratione, quàm quod incognita temerè damnant, nec sufficit damnatio ad vindictam, nisi etiam addita rabies infami morsu insontes discerpat.*

Hinc posita vera doctrina de triplici rerum principio (quam ab authoribus chymicis vsurpauit) sale scilicet, sulphure, ac Mercurio, ex elementorum mutua permistione compositis, ex quibus triplex rerum Naturalium promanat distinctio, Animalium, Vegetabilium, & Mineralium, materiam à Philosophis, in minerali Regno quærendam, rectè docet. Cæterùm acrem Philosophorum inuicem conflictum refert, pro lapidis materia digladiãtium; vbi mutuas insectationes, altercatio-

nes,

nes, ac rixas, veluti per transenam attingens, vnicam alioquin materiam, à varijs diuersimodè vsurpatam refert; vt scoriam ferri, salem, alumen, Magnesiam, Cadmiam, Calcanthum, ac demũ Arsenicum, de quo versus quosdam Sybillinos referens, de Deo homine ipsos interpretatur.

Non nego videri Authores inter se in vocibus dissentientes, docet enim Treuisanus, omnem difficultatem in eorum vocibus, & intentione consistere; attamen in re conueniunt omnes, nempè eorum materiam esse vilem, vbique reperibilem, omnibus obuiam, paucissimis notam; rerum omnium principiũ & originem; genus generalissimum; quod enim Philosophus de materia prima informi docet, hoc ipsi de materia seminali, quà res omnes generantur, nutriuntur, & augmentantur affirmant. In hoc omnes conueniunt, quam omnibus nominibus indigetant, eo quod omnia ei conueniant, est siquidem omnia in potentia, non secùs ac Peripateticorum prima materia. Ideò Chaos, &

Hyle dicitur, quia quemadmodum iuxta Empedoclis dogmata (imò & ipsius Authoris, vt videbimus) omnia erant in Chao in potentia, sic ista in potentia omnia esse dicitur. Hyle verò, quia est materia informis, omnium susceptiua formarum, &c.

Dicat velim Author, an seipso teste, non sit in ipsa tellure quid simile, quod dici potest omniseminarium Vniuersi? sane in terra frugifera, quodcunq; semen augetur, & multiplicatur, cuiuscunque demum sit speciei: ergo in terra est succus, qui omnia semina ad instar sanguinis menstrualis soluit; soluta nutrit, & eisdem pro augmento, & multiplicatione inseruit, quæ materia, seu qui succus vniuersalis specificatur à seminibus, & a quocunque in propriam naturam conuertitur.

Cum igitur huiusmodi vis in terra reperiatur, vtique dicetur esse in omni vegetabili; sed iam specificata, a semine indiuiduo: cum itaque semen minerale, eiusmodi sit in suo Regno, cum Vegetabili in proprio, e mineralibus

il-

illud eliciendum, & ipſe fateris: igitur e quocunque minerali opinantur varij elici poſſe: *Eſt enim* inquit Geber, *tam in corporibus quàm in Mercurio; in illis quidem perfectiùs, at in Mercurio propinquius.* Quis verò ſit iſte Mercurius, inferiùs diſquiremus. Quamuis igitur videantur ab inuicem diſſidere Philoſophi, de indiuiduo, e quo iſtud ſit eliciendum ſemen; attamen in hoc ſemine conueniunt omnes: cuius rei manifeſta eſt ratio, quia omnes qui de lapide tractant, ante omnia, dè metallorum generatione,& origine ſermonem inſtituunt.

Profectò omnes veri Philoſophi, excludunt omnes mineras, omnia metallica corpora, omnia genera ſalium, excepto (inquit Lullius) ſale noſtræ Lunariæ. Omnia vegetabilia,& omnia animalia,& quæ ex ijs oriuntur, ac procedunt, toto quippe genere ab ipſis diuerſa metallis; & tamen omnia huic nomina imponunt; docente Petro Bono in pretioſa Margarita, aſſimilari omnibus rebus his verbis. *Antiquiſſimi Philo-*

ſophorum viderunt hunc lapidem in ortu & ſublimatione ſua, & coniunctione elementorum, omnibus rebus mundi, tam realibus quàm intellectualibus, & earum accidentibus poſſe in ſimilitudinibus conuenire (quibus fusè cõnumeratis, ſubdit) *omnia dici de hoc lapide venerando*. Et poſt prolixam diſputationẽ, addit. *Ex dictis ergo patere poteſt, quod iſtius lapidis infinita nomina conſurgere neceſſe eſt, quæ omnia ſunt vera apud Philoſophos, quamuis ficta ſint, ideſt, ſimilitudinis*. Non ergo nominum diuerſitas, diuerſos facit, neque inuicem digladiantes Philoſophos; ſed rudes ac ignaros, & qui eorum loquendi mores non nouerunt.

Quanto, rogo, magis in Philoſophia Peripatetica contradicitur, vbi non in vocibus, ſed de re ipſa quotidie altercantur? alij modales entitates admittunt; alij negant; alij formam corporeitatis amant, alij plures partiales, alij reijciunt; alij eſſentiam ab exiſtentia ſegregant, alij identificant; alij materiæ proprium actum entitativum concedunt, alij adimunt &c. Igitur nulla in

Philosophia erit veritas? in qua tanta opinionum diuersitas, Scholas distraxit? Cum grano igitur salis sunt intelligendi Philosophi, non ad verbum, maximè præmonente Treuisano (quem etsi fabulosum referat, in hoc tamen, veracissimus est) materiam, pondera, & colores occultasse Philosophos, quid igitur mirum, si non conueniant in voce, qui eam vnam rem infinitis nominibus indigitant? an non idem est triticum, quamuis à Latinis, Græcis, Hebręis, Syris, Chinensibus, Americanis, variè nominetur?

Conuertitur hinc ad varia materialia, quibus laborantes vtuntur. Falsò Bacchoni ascribitur, quod in terra, aqua, stabulis, ac latrinis, lapidem inquirat, dum docet reperiri, & in sterquilinijs, quod & docet Arnoldus, siquidē Vniuersale semen, reperitur vbique. Inde ad melioris notæ Philosophos gressum faciens (quasi Bacchon deterioris notæ sit) sulphur & argentum vivum vulgaria, & vt extant venalia, siue vt in fodinis reperta, eos docet assumere, in

quo tamen magis fallitur, vt namque & infrà oſtendetur, ſulphur, & argentum vivum vulgaria, non ea ſunt de quibus Sapientes; nam eorum ſulphur, modò eſt corpus, ex aqua reliquum, quod propriam humiditatem coagulat; modò eorum aqua pontica; modo, Auri ſemen, de quo vide Lullium in theorica, a cap. 86, vbi ſulphuris voce, etiam perfectam tincturam appellat.

De nomine verò Mercurij, ſiue argẽti viui, videatur Arnaldus in Epiſtola ad Regem Neapolitanum, vbi expreſsè docet, ita appellari, lapidis humiditatem, nondum coagulatam; quare parum ſcitè, de vulgaribus interpretatur.

Non magis rectè Lullium de vino vſuali loquentem introducit, namque qui eius teſtamenti theoricam accuratè legerit, vtique eius vinum, tartarum, flores vegetabiles, quibus ſuum menſtruum acuit, cognoſcet non eſſe vulgaria vegetabilia. Eadem quoque ratione, non arbitrabitur, Bacconium de teſtis ouorum gallinaceorum fuiſſe opinatum, ſiquidem Ouum Philoſophorum

eſt

est illud, quod in se continet omnia ad lapidẽ necessaria, cuius testa est, aquea, vel terrea forma, quibus formalia principia inuoluuntur, eisque veluti inclusa asseruantur. Neque maiorem peritiam redolet, quod cum a lapidis opificio, omnia media mineralia, ac maiora; aquas fortes, ac corrosiuas eliminet, Paracelsum citet de natura rerum, *lib.3.* cuius verba ad longum describit, & tamen ijs Philosophos vti opinatur; cum certò certiùs sit, eorũ mineralia, aquas fortes, & similia, rem vnicam esse, omni virtute præditam, quam rerum omnium nominibus nuncupant, prout varios effectus exerit, Teste Comite Treuisano, qui docet nullam aquam naturali resolutione metalla resoluere posse, præter eam quæ cum ipsis permanet in materia, & forma: & in hoc omnes conueniunt. Idcircò omnes processus, in quibus res huiuscemodi nominantur, tanquam in Physicum opus ingredientes, omninò sophistici sunt, & ad decipiendos ignaros Philosophastros, & uni Auro inhiantes introducti.

Ideò

Ideò frequenter in Raymundi practicis, quarum plures circumferuntur, iuramentum legimus, quo nullam practicam veram esse profitetur, nisi (inquit) hanc, quam fortasse manu tenebat, dum alias interim, à veritate alienas conscriberet.

Recenset post hæc, metallorum genesim ex Philosophis desũptã omninò veram, ex sulphureo mercuriali vapore, qui pro materierum diuersitate, ad quas deuenire contingit, modò purum ac perfectum, modò impurum, ac imperfectum metallum producitur; modò in Marcasitas, Antimonium, Auripigmentum, Arsenicum facessit, modò in alia mineralia, siuè quæ argentum viuum continent, siue illius sint prorsus expertia, distrahitur: unde ipse fatetur horum omnium vnicum esse, uniuersale principium, ex quo omnia prædicta dimanant, quod sanè ab adueniente impuritate infectum, vitiatur, & à perfectione declinat. Fatetur insuper, in Auro ac in Argento purissimũ reperiri: quo verò pacto inde erui pos-

ſit ad Philoſophicum opus, *hic Rhodus*, inquit, *hic ſaltus*.

Quoniam verò puriſsimum, hoc ſulphur, aureuſque Mercurius, ſiue puriſſimum Auri ſemen, naturali induſtria, per Mercurium Philoſophorũ, ſiue per eorum menſtruale, e potentia in actum educi opportet, quærit quidnam ſit illud medium, tantarum virtutum, quo id valeamus obtinere, quapropter plures ſibi interrogationes proponit, quibus Philoſophos adigere tentat, ut ſibi apertẽ, ac clarè, rem manifeſtent, quod cum aſſequi nequeat, occultum etenim hoc eſt, eorum arcanum, & pręcipuum totius artis negotium, in quo occultando omnibus neruis incumbũt, ignotum dicit eos per ignotiùs ſemper reſpondere, circulumque committi, ex quo vanitatem artis, ac falſitatem deducit: huiuſcemodi quodammodo formato argumento. Philoſophi dicere nolunt aperte, quid ſit eorum ſolutiuũ naturale ſulphuris aurei, & cum interrogantur, ſemper quid ignotius reſpondẽt; ergo lapis Philoſophorũ eſt impoſſibi;

ſibilis. Hanc ego conſequentiam non video; niſi minorem addideris, ſcilicet, atque tenentur illud mihi manifeſtare, & clarè, ac apertè ſuam aperire intentionem; ergo, Tunc verò negabunt minorem, dicentes cum Gebro, *ſi ſis, tibi dicimus; ſi neſcis, nihil dicimus.*

Sed tamen, ſi acuratiùs quis authores legerit, eorumq; dicta attētiùs perceperit, vtique addiſcet, eorum ſolutiuum, eſſe ipſummet vniuerſale naturæ principium, ſiue ipſam vniuerſalem naturam, ab omni prorſus fœculentia depuratam; ex qua, cum in ipſo rerum exordio, Deo iubente, res omnes prodierint, ex eadem quoque indies creſcunt, & nutriuntur. Vis ergo eſt illa generica, & vniuerſalis; quæ à matricibus, ac ſeminibus ſpecificata, modò in minerale, iam in vegetabili, rurſus in animale mutatur. Idem eſt, viuificus ille ſpiritus, nondum indiuiduatus, qui ex elementorum mutua actione, ac paſſione in corpoream quandam, ac confuſam maſsam concretus, particularia præſtolatur agentia, vt per ea excite-

tur

tur ad motum, & prout à ſeminibus particularibus, quæ matricibus ſpecificis inhærent determinatur, in hoc aut illud genus rerum, immò & indiuiduum, concedat.

Eſſe verò hoc ſemen, ſiue naturam in vniuerſo; præterquam quod ipſe fatetur inferius, nemo negabit, niſi qui ſeipſum eſſe in eadem naturæ ſerie, ibit inficias; etenim vniuerſa hinc oriuntur, & propagantur, quemdmodum quotidiana Agriculturæ experimenta demonſtrant. Ex hoc vno fundamento, nunc feraces, nunc ſteriles annorum reuolutiones inſurgunt, prout à Cœlorum influxibus vis iſthæc, quæ propriè rerum natura vocatur, parciùs, aut copioſiùs emittitur; aut veriùs, a ſinu telluris, per aeris & aquæ commiſtionem recipitur.

Hanc igitur venantur Philoſophi: & quoniam in ſua nuditate eam habere non poſſunt, ſiquidem ſpirituoſa, ac tenuis nimis, operationi corporeæ nequit inſeruire; contra verò cum in hæc ima defluxit, corporea quadam male

inuo-

inuoluta obruitur, Sapientes qui eam norunt, ſagaci venantur indagine, eamque captam depurant, ac in quintum eſſe deducunt, eſt etenim id quod à Philoſopho dicitur de generatione ani-
Li. 1. C. 3. malium, proportione reſpondere elemento ſtellarum; qua obtenta, omnia miracula, de quibus inſipientes ambigunt operantur.

Quis verò in Magiſterio modus ſeruandus, ad naturam ipſam relegant operantem, quam docent in omnibus eſſe imitandam; ipſa ſiquidem proprias vires nouit, ac proprios exaltationis modos, neque alio indiget, niſi auxilio artificis, vt ſuperflua remoueat, quo ſibi ipſa relicta, proprias valeat functiones exercere, à quibus, impuritatibus officientibus impediebatur. Sed ad proceſſus accedamus, quos Author, excerptos ad verbum, eadem via ad praxim deducendos eſt opinatus. Sic igitur habet.

Primò, itaq; materiam inuentam (ſi modo inuenerint) calcinandam cenſent, & ab omnibus ſordibus purgandam. Deinde om-

omnibus Philosophicę calcinationis modis, ex auctoribus probè excerptis, *in materiam primam si Dijs placet reducunt.* Hæc ille.

Ambigit ergo primò, an materiam inuenerint; sed qui eam norunt, nullam in ea adinuenienda difficultatem offendunt, cum reperiatur ubique, & sit omnibus obuia, licet non nisi Sapientibus, ideòque paucissimis, nota, quam in primam materiam (ecce alterum offendiculum) per eius purificationem, deducunt. At sanè fas est credere id fieri posse, cum omnia in illud ipsum resoluantur, Philosopho teste, ex quo primò duxerunt originem: non quidem in materiam primam Peripateticam, duntaxat intelligibilem, sed in materiam primam immediatam, ac proximam, ex qua composita proximè oriuntur. In materiam primam inquam illam, quam author ipse supra admiserat, salem scilicet, sulphur, & Mercurium. Quid ergo mirum, in hanc primam materiam Philosophos Chaos suum reducere, cum omnia mista quotidie, per

tem ſpargiricam, (quod & ipſe author inferiùs fusè docet) reſoluantur? ſanè
lib. 12 ſit illud cum Deo placet, non ſi Dijs placeat, nihil etenim Deo inuito, Natura operatur, cuius obſequens eſt ancilla ac miniſtra. Proſequitur proceſſum.

Poſt igitur reductionem in primam materiam, elementa ſeparant, & diuidunt, nimirum in ſuperiorem, & inferiorem, ſeu terram, & aquam. Adde in terra ignem, in aqua aerem latere, & ita duo eſſe elementa actiua, duo paſſiua, duo viſibilia, duo inuiſibilia, quæ vtique diuiſio omninò neceſſaria eſt, ut ſingula ſeorſim adhuc magis depurentur, & aptiora ſint ad nouam coniunctionem, neque enim ad hoc, per ſimplicem reductionem in primam materiam, in quintam eſſentiam fuit materia redacta, ſunt quippè adhuc corruptibilia, ſiquidem ſeparabilia, ſed tunc demum quinta conſurgit eſſentia, quando inſeparabiliter, & incorruptibiliter reuniuntur.

Sequuntur inquit, *putrefactio, coagulatio, cibatio, ſublimatio, circulatio, ſeu*

augmentatio , aut multiplicatio, & proie-ctio. Omissa est fixatio, quæ fit ante cibationem; insuper, aliud est circulatio, aliud augmentatio, & multiplicatio, quare non benè dicitur ly, *seu*. Omnes sanè operationes facit sola Natura; excepto quod, ars materiam ministrat pro augmento, & multiplicatione; & ad ptoiectionem alia multa requiruntur; quin proiectio non est de essentia lapidis, erit etenim, & sine proiectione. Ad fixationem verò, quam omisit, requiritur metallum perfectum, quod medicinam figat, etenim non figit nisi figatur, nec tingit, nisi tingatur: ad proiectionem autem, requiritur imperfecti metalli subministratio, supra quod fiat proiectio.

Processum deinde subdit, ex Paracelso, quo Mercurium vulgi cum metallis amalgamandum docere videtur, adhoc vt & ipsa, in Mercurium reducantur, de quo sollicitus non ero, quid Paracelsus intendat, an irridere ignaros, ad aliud occultandum arcanum; an alia fuerit eius intentio, quam scru-

tari non satago, cum nihil sit ad intentum, quod assumpsi.

Alios dein processus, ex Azothò docet sumendos; sed nemo qui in Philosophorum scriptis, vel mediocriter sit versatus, ignorat, hos Processus, intellectos ad litteram, esse meram diuitiarum perditionem, quod ab ipsis edentibus præmonetur; neque enim eorum vllus adeò liberè docuit, vt ex processibus ars possit obtineri; quia vulgatum est penes illos, *cum Philosophi veritatem se dixisse senserunt, tunc figuratè loqutos esse dixerunt*: nemo enim verus Philosophus rem edisserit, eiusque operationem, relegant etenim inquisitorem Artis, ad opus naturæ, vt sciat totam difficultatem esse, in eorum vocibus, & intentione: rem esse planam, facilem, nullius laboris, quia est naturalis: veluti namque in Agricoltura, omnis difficultas est, in agro præparando, remouendo radices inutiles, terram pinguefaciendo, glebas comminuendo, & sulco effosso, complanatoque agro, semine eligendo, quod demum terræ com-

mis-

missum, sibi relinquitur, & Deo desuper adiuuante, non nisi cœli inclementiâ, aut aeris intemperie obstantibus, ad maturitatem perducitur; ita pariter in opere Physico euenire docent, vbi omnibus prius ritè præparatis, per solam coctionem, omnes operationes peraguntur, quamuis tam variæ, ac diuersæ videantur doceri. Sed ad caput secundum Autoris procedamus.

C A P. IV.

In quo expenduntur varij processus, circa particularem metallorum transmutationem, in imperfectis.

DOctè sanè, circa rerum transmutationem hoc capite versatur Author; immò adeò scitè de primordiali metallorum materia differit, vt nequeam non mirari, virum tantarum rerum peritia dotatum, odio (neque fortasse iniquo) in Sophistarum scelestissimam turbam, prolapsum, & vt ipsos verè Sapientes, ac Artem penè Di-

uinam, insectandam assumpserit.

Fatetur se artem impossibilem non arbitrari; eamque Angelis, Dæmonibusque, quibus omnes naturæ operationes, ac processus, Diuinitùs infusâ scientiâ patent, omninò esse possibilem.

Sed rogo, num ad vaporem illum Sulphureo Salino Mercurialem, quem verè, primam metallorum omnium materiam esse docet, ex omnium Philosophorum consensu, aliud adhibeat Natura, ad producenda metalla? excepta sola matrice debita, quæ iuxta puritatum, aut impuritatum accessum, metallorum, ac mineralium diuersitatem operatur? sulphur etenim illud quod in matricibus inesse docent Sapientes, quo vapor ille coagulatur, nihil aliud est, nisi terrea virtus salinosa, quæ eius vaporis aciditatem coagulat, & se ad instar seminis specifici, & agentis gerit, quo res in varias species discerpuntur.

Siquis igitur hunc Sulphureo salino mercurialem vaporem obtinere posset, antequàm coaguletur, in hoc vel illud

metallum; an non rectè primigeniam metallorum materiam obtineret? quā, cum ab impuritatibus accidentalibus sibi adhærentibus repurgasset, quid restaret artifici, nisi vt aureo, argenteoue semine illum vaporem specificum redderet? habent etenim in se hæc metalla iam ipsam vim coagulatiuam, cujus loco, salinosa terræ virtus, in primæua eorum productione suppleuit, estque ipsum specificum agens; ergo tūc sola coctio opus totum perficeret; quemadmodum natura, sola coctione, vaporem præfatum in aurum, argentumve conuertit, promouet, & figit. Cum igitur vapor ille in minera tingatur colore albo, aut citrino, absque eo quod de facto coloratam nanciscatur substantiam, cum hic color, ex digestionis gradu supremo oriatur, prout etiam in fructibus vegetabilium est videre, vtpotè pomis, aut uvis, inter quas, vel ipsę natura alioquin albæ, maiori accedente maturitate citrinant; si inquam vapori huic crudo, iam optimè digestum aurum commisceatur, adeò

ut in ipſo ſoluatur, an non aurum, in magis concoctum quid promouebitur? Et cum doceat Treuiſanus, intentionẽ Philoſophorum eſſe, aurum vno gradu altiùs deducere, quàm factum ſit à naturà, an non vno, aut pluribus gradibus altiùs promouebitur, ſi reincrudatum, cum colorem auctiorem aſſumpſit, iterum cóquatur, iterumque coaguletur? ſanè Phyſicus lapis, qui nihil aliud eſt in ſua origine, quàm aqua illa, non figit niſi figatur, nec tingit niſi tingatur: ergo fixum figit, & tinctum tingit. Quid rogo impoſſibilitatis erit homini, idipſum adminiſtrare, materia illa vaporoſa obtenta?

Sed dicet, impoſsibile eſſe, eam ab homine acquiri. Atqui in hoc eſt difficultatis cardo: non ergo in operatione ſed in operis fundamento, latet Arcanum. Hoc tamen Philoſophi ſe obtinere poſſe confidunt: quo obtento, concedat, non eſſe adeò laborioſum, vt impoſſibilitatis terminos attingat, totius operis complementum. Non ergo neceſſarium quod aſſerit, nefariorum

ſpi-

ſpirituum opem adſciſſere, ſed Diuinā implorare benedictionem. At de his Fuſiùs infrà.

Neque minus ſcitè de varijs apparētibus tranſmutationibus diſſerit, quas non dari, ipſe lubens concedo, eo modo quo proponuntur; neque enim aut ferrum in cuprum vertitur, aut plumbū in ſtannū, aut ferrū in æs, ſeu cuprū, ſed apparenter duntaxat id effici, non diffiteor. Non deſunt tamen qui aſſerant, in puteis Vitriolicis, in Saxonia, iniectas ſecures ferreas, æreas euaſiſſe, quod ſanè fieri poteſt, omni ferro corroſo, cujus loco ramenta cuprea ſucceſserint. Si tamen oleum Vitrioli idipſum præſtet, cum nulla in eo ſint cuprea ramenta, difficilè erit negare. Verùm, impoſſibile potius id aſsero fieri, niſi ei virtus inſit, ferrum in primam materiam vertendi, iuxta commune dictum Auicennæ, *fruſtra tentare Alchymiſtas metalla tranſmutare, niſi ea primùm, in primam materiam redegerint*; quod non modò intelligendum duco de imperfectorum migrationem, in perfecta, ſed de mu-

tua eorundem ad inuicem transmēatione.

Quid porrò Paracelsus, de augenda Magnetis virtute doceat, quem author impugnat, siue id fiat ex oleo, e croco Martis confecto, siue sale Echeneidis, omninò ad verbum intellectus, vanitatem censeo, & in hoc verissimam esse autoris doctrinam: cæterum cū Echeneidem Philosophi, non vulgarem Remoram, sed ipsorum illam intelligant, quæ non naues veliuolas, sed volatilem lapidis spiritum in mari Philosophico, vel eundem fugitivum, in imperfectis metallis latentem sistit, non puto adeò stolidè Paracelsum, magnum alioquin Virum, de vulgari Magnete loqutum, sed de eo, de quo & Arnaldus in Epistola ad Regem Neapolitanum, qui docet, magnesiam non esse vulgarem, sed esse compositum Physicum, de quo etiam Paracelsum intelligendum arbitrarer. Verùm, cum Paracelsum non sumpserim defendendum, neque eius doctrinā in omnibus probem, sed meū intentum duntaxat sit, lapidis possibilita-

tatem Physicè ostendere, & Philosophos ab iniurijs vindicare, non admodùm sollicitus ero, quid de eo sentiat Autor.

Hoc tamen vnũ addo, quod de mutua imperfectorum commigratione dictum, non itidem de vulgari Mercurio intelligendum; qui vtique vapore Plũbi ita coagulatur, vt in Plumbum vertatur; cum enim sit ipse proximè aqua metallica, cui solum coagulum defuit, quodcunque illi accesserit, in illud cõgelabitur; quare eò faciliùs, auream formam assumit, cũ facile ab ipso possint originariæ impuritates secerni.

Concludit author hoc Caput cum Quercetano, qui Paracelso despecto, ad Lullianum cœlum confugiens, metallicà medicinà neglectà, ad animalem duntaxat intenderit animum; & Quintam vini essentiam comparando, ad humani corporis medelam, eam transtulerit.

Lullium, certum est, sub vini, ac tartari vocibus ludificare ignaros: ea etenim, quæ de aqua vitæ, ex vino extra-

cta edifferit, de vulgari vſurpanda non eſſe, experto conſtat; de quo vide ipsũ Lullium in teſtamenti theorica; nihil enim eorum, quæ de ſpiritu vini pollicetur, effici poſſe certiſſimum. Quare ſuum vegetabile menſtruum, hoc nomine intelligit, quod modò album, modò rubrum vinum apparet: hinc ſanguinem nõnulli dixerunt; alij lunariæ ſuccum, quod & ipſe Lullius; quare non verbalem, ſed miſticum ſenſum intelligere conuenit. Namque primò medicina vniuerſalis conficitur, & quæ corporibus animalium medendis inſeruit; tum demum metallica: certũ eſt ſiquidem Philoſophos, humanam primùm medicinam quæſiuiſſe, qua inuenta, vtrum & in metallicis corporibus inſeruiret, inquiſierunt.

Pro corpore autem humano, ex auro ſoluto fieri huiuſcemodi medicinã docere videtur Hypocrates; his verbis. *Aurum operantes, lauant, tundunt, igne molli liquant, forti autem non conflatur, & cum ita præparauerint, tunc eo vtuntur ad omnia.* Et licet docere videatur, om-

lib. 1. de Dieta

nes

nes artes naturam imitari, in præparatione materierum sibi inseruientium, ad proprium finem, peculiare tamen est de eo quod de auro docet; ignis enim mollis, quo aurum ita soluitur, ut non ampliùs confletur, alius esse non potest, quàm Philosophicus, vt mox patebit.

Porrò ex his verbis obseruo, longè antiquiorem esse Alchymiam, quam opinetur author, qui non nisi post Christum natum prodijsse censet; namque de eius antiquitate, præter quàm quod inferiùs videbimus ex ipso Hermete, non parum faciunt, quæ sequuntur. Quare obseruo secundò mẽstruum quo aurum soluitur, tale esse, vt aurum nequeat iterum conflari, iterumque in aureum corpus restitui; esseq; ignem mollem, qui ignis mollis, si dicatur lenis, hic aurum non soluet, aut liquabit; est ergo aqueus ignis, quemadmodũ Philosophi dicunt; aqua nostra, est ignis per totum; & alibi; quis diceret aquã nostram esse ignem, & ignem aquam? quare hunc ignem eum esse censeo, de

quo

quo Pontanus in sua Epistola. Adde, quod aurum ita solarum, nequeat vltrà igne forti conflari, at quod aqua Regia, ex nitro, vitriolo, aut alumine, ac sale Ammoniaco, siue sale communi confecta, soluitur, iterum in corpus reducitur, iterumque conflatur.

Eàdem hàc aquà dissolutum opinor Vitulum illum aureum, quem in puluerem comminutum, & aquæ inspersum, Populo Idolatranti in potum præbuit Moyses. Vel dicat author, qua arte id factum, si Alchymia non fuit tempore Moysis? sanè metallurgica, hoc non habet. Neque me sceleris, aut impietatis arguat Author, quod naturali operationi, & non miraculo id factum ascribam; sanæ tamen doctrinæ me remittens, neque enim opus est miraculis, vbi naturæ vires suppetunt: quod si non quoad substantiam, miraculosum, ergo Naturæ vires insunt soluendi aurum, itaut vltra non sit corporeum aurum: quod si ita res se habet, cur id nescierit Moyses, qui omnem scientiam Aegyptiorum doctus fuerat? An nega-

Exod. 32.

gabimus ignoraſſe ea miracula, quæ faciebant Magi, non ſupernaturali, ſed naturali virtute, quamuis ipſe ſupernaturali tunc vteretur, eò quod Diuino nutu operabatur? idcircò omnes naturalis Magiæ vires ſuperauit.

Sed quoniam de Alchymia ex Sacris litteris incidit mentio, velim mihi locũ Baruch aperiat, in quo diſquirens opera eorum qui inſipienter operantur, & ſine prudentià, inter illos enumerat Principes gentiũ;& eos qui theſaurizãt argentum & aurum, & non eſt finis acquiſitionis eorum; poſt hos recenſet eos qui *argentum fabricant, & ſolliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorum.* Sanè hic textus intelligi nequit, de theſaurizantibus auaris, ſupra etenim de ijs fuerat loqutus: non de ijs qui laborãt, aut in fodinis, aut in opere Aurifabrorum, tales etenim non ſunt ſolliciti in Argenti fabrica, & in eorum operibus, eſt inuentio; loquitur ergo de vana Alchymia, in qua auari totos ſeſe dederunt; ſunt etenim hi ſolliciti de argenti fabrica, & non eſt inuentio operum c. 3.

illorum, quia ſine ſapientia operantur. Si igitur vana Alchymia erat in vſu, vtique & vera, namque vani labores inſurgunt, poſtquam veros effectus conſequi nequeunt. Sed vtut ſit, certè iam tunc erat Alchymia.

CAP. V.

In quo examinantur varij modi conficiendæ tincturæ Phyſicæ, ab Authore Subterranei Mundi propoſiti, ex authoribus Chymicis deſumpti.

PRimę notæ Philoſophorum proceſſus tradere intendit, in quorum enumeratione, fictitium Hermetem, Azoth fictitium vt ſupra, fictitiumque Morienem recenſet. Oro ex quibus authoribus fictitios hos eſſe repererit? ſanè, vt hos fictos dicat, aut ex phraſi, aut aliquo teſte, qui id aſſeruerit fide dignus docendum erat; ſiquidem a ſexcentis & ampliùs annis, non fictitios, ſed veros authores omnes ſunt arbitrati, vt ex præſcriptione quodammo-

do

do (& si aliter foret) videantur veritatem adepti; & inter authores legitimos adnumerandi. Cur non & fictitij cæteri? Calid, Geber, Rasis, & alij? vnde isti duntaxat innotuere fictitij? Sed ad rem.

Processum refert, ex Gebro, qui sanè perobscurus est, ijs qui eius stylum ignorant; adeòut de illo Lullius asseueret, tot esse incantationibus incantatum, vix vt millesima lectione quis ipsum valeat percipere. Villanouanus verò, Magistrum Magistrorum appellat; quare non mirum a discipulis, ac ne quidem discipulis, sed tyronibus non esse vt intelligatur idoneus. Fatetur tamen Geber supra citatus, scientibus se, non ignaris artem præscripsisse. Est autem huiusmodi.

Sumatur lapis, in capitulis notus, idest argentum vivum, seu Mercurius Philosophorum, quem Zertback vocant post præparationem, ante præparationem verò, lapides illi ex quibus elicitur. Assiduè fiat super illud opus sublimationis primi gradus, cum instantia operis, donec mundetur ab impuritate cor-

rumpentibus, sitque purissimus, & vltimò volatilis: Quomodo autem hoc fiat per sublimationem, in sequenti processu manifestabitur. Tertiò figatur, per modos fixionis, donec in ignis asperitate quiescat: hic consistit meta secundi gradus, ideſt, elixir iam suo gradu fixum habes. Quartò tractetur etiam lapis tertio gradu, qui in vltimo præparationis complemento consistit, vt iam fixum lapidem, per modos sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum. Hunc solues, iterumque volare facies, & coagules denuo, donec fluat absque fumo tamen, & ingrediatur, & tingat, alteretque in complemento Solifico, vel Lunifico vero, vel donec proiectione sui, aurum, & argentum efficiat completum, quæ res, multiplici repetitione eiusdem laboris indiget: latet hic thesaurus incomparabilis, arcanum pratiosissimum. Hunc ergo processum gratis dictum asserit, ideòq; eius explanationem, ex Lullio, & Azotho petendam, eoquod Lullius ad verbum ex Arabico desumpserit.

Antequàm hanc explanationem accedamus; de processu Gebri, vtut obscurus, tamen qui eius scribendi modũ

nouit, & libros perlegerit attentiùs; agnoſcet triplicem ab eo medicinam deſcribi, quarum prima Sophiſtica eſt, nec aliud habet, quàm apparentes tincturas. Hæc autem fiunt labore non modico, & manuum appoſitione, ac ſegregatione, & ſubtiliatione ingredientium, in ſophiſticas tincturas. Hãc vocat, primi gradus. Secundi gradus eſt realis, qua depurantis imperfectis metallis, ex illis veras ſubſtantias elicit, modicè quidem, & de hac & author noſter docet, eſſe licitam Alchymiam, & quodammodò vnicam doceri ab antiquis. Tertij gradus eſt, quà per proiectionem medicinæ metalla imperfecta perficiuntur.

Hos omnes gradus vult Geber requiri in opere Phyſico; non quod in eo quid ſophiſticum ingrediatur, ſed quomodo præparantur ad ſophiſtica, materialia, ita cum materià lapidis primò procedendum, remouendo ſcilicet manuali operatione impuritates, & reducendo ipſam ad ſummam perfectionem puritatis, iiſdem modis qui in So-

phiſtica adhibentur; quos in libro fornacum, & ſummæ perfectionis, hinc indè diſperſit. Habitâ materiâ depuratâ, opus ſecundi gradus incipit, qui fit naturaliter, abſque manuum appoſitione, ſolis principijs naturalibus conjunctis. Inde tertius gradus inſurgit qui in ſumma ſubtiliatione medicinæ conſiſtit, multiplicatione in quantitate & virtute, quam per iteratam ſolutionem, & coagulationem fieri docet. Cuiuſmodi verò eſſe opporteat lapidē in capitulis notum, docuit vbi de ſeptem eius proprietatibus diſſeruit; nempè Affinitas, Oleaginitas, Subtilitas, Radicalis humiditas, Puritatis claritas, Terra figens, & Tinctura; quæ quoniam ab authoribus fusè explicantur, ad vlteriora procedo.

Sed obijcies contra hunc proceſſum adeò obſcurum; ad quid ea ſcribere quæ docere nolunt? hoc ſufficit ad impoſturam apertam, & artis vanitatem arguendam. Reſpondet Treuiſanus Philoſophos poſteris ſuis tantum bonum, vouiſſe ſimul, & inuidiſſe. Scripſe-

ferunt, vt ex naturalibus rationibus, rei veritas elucesceret; obscurè scripserunt, vt non nisi ij quos Aequus amauit Iupiter ad artem perueniant, cum instanti meditatione, ac laboris assiduitate, præcibus ad Deum fusis, vt ingenium aperiat; studio indefesso duntaxat, ad eam perueniatur, quominùs ad indignos deueniat, & ad eos, qui non quærunt artem, vt admirandam naturæ vim agnoscentes, Deum altissimum laudent, eique benedicant, sed auri execrandà cupidine inflammati duntaxat, ipsam anhelant, quòad superbiam, & libidines Diuinà grazià abutantur. Sed prosequamur.

Antequam Processum Raymundi, & Azothi edisserat, in duas clases Turbam Alchymistarum distinguit (non ampliùs Philosophos, sed per cõtemptum Alchymistas) quorum alij Aurum minerale purissimum requirũt ad opus, alij sine ipso confidunt opus se posse conficere, quorum hos, lolium pro tritico, terræ Philosophicæ inserere arbitratur.

Quæſtio igitur præcipua fuerit, an ſine minerali auro, poſsit confici hic lapis. Geber profectò aſserit, quod ſi cum ſolo Mercurio perficere poteris, maximi arcani vincentis naturæ indagator eris. Alij duobus duntaxat veluti neceſsarijs vti opportere docent, tertium tamen addi, ad abbreuiationē operis, corpus perfectum. Quare videtur abſolutè, ſine auro vulgari confici poſse; quod negans omninò Author, cum quò mihi negotium, nihil hàc opinione ſtolidiùs eſse poſse aſseuèrat. Videamus igitur quæſo, an res ita ſe habeat.

Diximus ſupra Authore non abnuēte, ſemen metallorum eſse, Sulphureo ſalino Mercurialem ſubſtantiam, ex qua per decoctionem, natura in terræ viſceribus metalla producit: cum igitur iam hoc ſit, ex ſuo proprio eſse metallicum ſemen, neque ſulphur extraneū habeat, à quo inficiatur, vtique in purā auri ſubſtantiam migrabit; cum igitur ſine auro, aurum conficiat natura, ergo ſi Philoſophum contingat eadem obti-

nere

nere principia, aurum, ſine actuali auro conficiet. Sanè totus liber Phyſicorum primus in eo verſatur, vt res produci demonſtret, ex non ente in actu, ſeu ſolo ente in potentiâ, ergo aurum actu, ſine auro actuali confici poteſt, quemadmodum actualis homo, ex non actuali homine, muſicus, ex immuſico.

Iam igitur, cum ad auri perfectionē hoc ſemen peruenerit, neque terminū habeat in quo quieſcat, cum à matrice non ſit determinatum, non coagulabitur in aurum actuale, ſed retinebit vim ac potentiam, vt promoueatur vlteriùs. Cum igitur huic ſemini inſit, vis illa ſulphurea puriſsima, alba, & rubra, poſt debitam coctionem, & coagulationé, nil impedit quòminus in tincturam augeatur, quæ argento viuo vulgari addita, illud tingat ac figat. Fateor longioris temporis negotium futurum, quàm ſi huic iam præparato vapori, aurum ipſum maturum immiſceatur; cum etenim iſtud iam propriam ſit adeptum tincturam, dum ſoluitur, eandem ex intimis viſceribus edit, ideòq; longè ci-

tius ad operis complementum peruenitur, ideòque supra ex Philosophis dictum, tertium addi ad abbreuiationem operis, corpus perfectum.

Quare sciendum est, omnem laborē in eo versari, vt nanciscantur aquam seu menstruum, vt vocant, cuius virtus sit, vt metalla naturali resolutione, in primam materiam resoluat, quo modo vi aquę elementalis, omnia vegetabilia semina solvuntur, mediante naturæ sale, vt ad vegetandum promoueantur; quo obtento, metallum huic ingerunt, vt more vegetabilium solutum, & putrefactum, semen suum edat, quod tunc, vera materia prima, idest proxima, & immediata metallorum dicitur, verus Philosophorum Mercurius: Mercurius duplicatus, alijsque nominibus Sapientibus notus.

Patet ex hoc, frustraneum, & inutilem esse processum, ex Azotho seu Lullio desumptum, ad opus Physicum, in quo ex vulgari Mercurio sublimato, & aquis fortibus, ac Regijs, ex nitro, alumine, sale ammoniaco confectis,

menstruum elici docet, quo metalla omnia in mercurium, seu argentum vivum currentem resoluantur, quem procedendi modum, praxi respondere asseuèrat. Sed bonà eius veniâ falsum est, ex eo menstruo quidquàm effici, aut per illud metalla in mercurium resolui, deceptus est enim apparentiâ, eo modo quo decipiuntur, qui soluentes argentum vivum vulgare, in aqua forti communi, eidem aquæ quæ mercurium solutum in se habet, plumbum limatũ, seu plumbea ramenta immittunt, putantes hoc in argentum vivum solui; etenim sensim argentum vivũ in Phyalæ fundum descendit. Sed non est plũbum quod soluitur, at argentum vivum quod solutum fuerat, redit ad suam naturam, dum interim Plumbum aquæ fortis corpus occupat, & ita præcipitatur mercurius.

Pari ratione se habet aqua illa; de qua author noster docet, respondere euentum. Sublimatũm etenim, in aquã soluitur, at mercurius suam retinet naturam, esto alius appareat; & cum me-

tallum quodpiam, in ea aqua ſoluitur; mercurius reuiuiſcit, & iterum in currentem reſurgit, quemadmodum paulò ante dictum, quare non opus eſt tanto labore aquam conficere, cuius vſus eſt prorsùs inutilis.

Quantum verò à Philoſophico procedendi modo, proceſſus ille ſit alienus, & à vera materia remotus: nemo vel mediocriter in authoribus verſatus non videt; quare ex huius ineptia, non benè opus Phyſicum impoſturæ damnatur. Ita enim ſe habet argumentum; Lullius & Azothus proceſſum dedère, conficiendi tincturam, qui eſt falſus & vanus, ergo lapis Philoſophorum, eſt impoſtura. Nego conſequentiam. Opportuit enim argui hoc pacto. Azothus & Lullius proceſſum dedère conficiendi tincturam, vanum, & falſum, atqui nullus alius eſt modus præter illum, ergo falſum eſt confici poſſe tincturam, ergo impoſtores ſunt, qui poſſibilitatē lapidis aſſerunt. Sed negabimus minorem, & conſequentiam, & addemus, ipſos qui hos proceſſus dedère, expreſ-

sè docere , nulli processui esse fidem adhibendam , quoniam qui dicit recipe, dicit decipe.

Sed obijcit Author; si hoc verum nō sit, nulli Philosopho credendum, eosq; duntaxat ad famam aliquam sibi faciēdam, quodlibet, pro quolibet sumere, & intolerabili impostura posuisse.

Respondeo, ex vulgari enchiresi, seu manipulatione , docere Philosophos ecuiusmodi esse opporteat, eorum operationem ; & quemadmodum ex vulgari hoc procedendi modo , metalla in mercurium reducuntur, (quod tamen est solummodò apparens) ita in Physico processu, per veram , & naturalem sublimationem, & purificationem (quæ est exaltatio in virtute, & perfectione, non ascensio in vas vitreum, cum adhærentia vasis spondilibus) verum, naturalem Mercurium educi, qui nihil aliud est, quàm metallicum, siue aurificum semen, e perfectis corporibus eductū. Neque culpandi sunt Sapientes, cum præmoneant, omnes suas operationes, esse naturales, in quibus nihil extranei in-

ingrediatur, ipforũ Mercurio nihil addi opportere, vel minui, fed in præparatione duntaxat remouẽda fuperflua, quæ duo effe dicunt, & aqueam humiditatem, & terream fœculentiam. Qui igitur, ita præmonitus, huiufmodi proceffus legens ijfdem fidit, non authoribus fed fibi imputet, quando in fophifticas operationes incurrens, eas pro veris, ac genuinis vfurpat. Non ergo Philofophorum impofturam, fed propriam incufent ignorantiam, eoquod abfque verà cognitione, in rebus improprijs laborantes, tempus & operam perdũt; & naturalium rerum ignari, tamquam Afinus ad cœnam procedunt.

Admonet hic lectorem, fe non adeò credulum haberi velle, vt quidquid Alchymiftæ admirandarum rerum effutiunt, tanquam Euangelij Sacramentum reuereatur. Superuacanea fanè, & abundans admonitio, fatis enim fuperque cognofcitur, non modò inania pro veris à fe non admitti, fed neque ipfa meridianà luce clariora, vt propterea

ego

ego mearum partium esse sim arbitratus, patentem ei veritatem ostendere, vt non Alchymistis, sed veritati cedat. idque vel maximè quod ausit asserere, Chymicorum (intellige Philosophorũ) plerosque, nullà abditarum Physicarũ rerum scientià pollere, neque combinandarum rerum peritià. Proh Superi! itane de Philosophis sentit? qui rogo, aut subtiliùs, aut accuratiùs rerum occultarum principia euoluère, quàm authores Chymici? Estne Auicenna, Raimundo, Arnaldo, Treuisano, subtilior, aut sapiẽtior vllus, in verà naturæ agnitione? Et qui de rerum principijs accuratiùs disserat? quid de duodecim tractatibus Sendiuogij, quos ob Libelli paruitatem contemnit? estne ad operationes naturæ in materia secunda quidquam accomodatiùs? tractatulos dicit; fateor exiles, paucitate verborum, immensà tamen scientià affluunt, etiamsi Iconum maiestate non fulgeãt, atque eleganti latinitatis nitore, ad stuporem inflati non turgeant: sileo neotericorum plurimos, quorum in na-

tura rerum examinanda, tantà vis elucet ingenij, vt ad miraculum prorsùs de ea differuerint. Hi ne Philosophiæ expertes? rerum abditarum imperiti? Rerum combinandarum ignari? Et hi tamen omnes, lapidis veritatem lustrarunt, & illustrant.

Redit post hæc ad Paracelsum, qui sine auro vulgari lapidem conficiendum censet, quem acriter exagitat; sed quid de hoc sentiendum fit; iam diximus, & infrà latiùs dicemus.

Ad eos digrediamur modò, qui aurum obrizum assumunt, & sunt in altera Alchymistarum classe, quos de vero auro corporali, nondum ignem experto, interpretatur ad litteram; & cum de auro Euilath, seu Ophir sermonem instituunt, nempè de Auro spirituali nondum in auream formam coagulato, irridendi ansam artipit, atque eos ad Rypheos montes ablegat, vt aurum isthic à Gryphis custoditum, in lapidis structuram adducant.

Processum ex Nicolao Barnaudo, ad litteram exscribit Pag. 263 quem stu-

dio

dio negligo, eoquod hoc modo assumptus sit nullius prorsùs momenti; est siquidem mera vanitas Philosophorum dicta, ad litteram vsurpare, quare eius examen omitto, cum alius sit lógè sensus, quàm Author intelligat esse, aut esse opinetur.

Post hæc Paracelsum exagitat, cum quo plurimum sibi esse voluit negotij, eoquod inter Philosophos nouissimus, palmam sibi præ omnibus arrogare videatur. Ipsum igitur, & omnes reliquos, qui sine auro naturali minerali, opus se conficere posse arbitrantur, solo Mercurio Philosophorum adhibito, quem asserit Paracelsus, tum in fossilis cinnabaris, tum in minij venà, tum in spiritu sublimati nidulari; quod quomodo fieri possit impossibile censet, nisi in ijs argenti, vel auri granum reperiatur, quod vnum ac solum extrahitur, reliquo toto tanquam minùs vtili abiecto. Sed bonà veniâ, crassà nimis Mineruà interpretatur Paracelsum, quem si scitè intelligere voluerit, dicat opportet, in quàcunque minerà

spi-

ſpiritum illum reperiri, quod & ipſe ſupra docuit, vbi vaporem Sulphureo, Salino, Mercurialem omnium metallorũ, & mineralium originem dixit. Si igitur ita eſt, non expectandum videtur, donec vapor ille in metallum maturetur, tunc etenim ſpeciem aſſumpſit, ideòq;, aut in aurum, aut argentum, aut in imperfectum metallum migrauit. Cum itaque Paracelſus, ſpiritum Mercurij viui, e minij, cinnabaris, Antimonij vena ſumendum docet, non vult, vt acceptà eà venà, ac deſtillatà vapor inde Mercurialis eliciatur, ſed docet aſſumendum ſpiritum mineralem, quippè qui in omni re minerali latitat, ita tamen, vt ante ſui ſpecificationem capiatur; cuius rei Magiſterium, non modò Paracelſus, ſed omnes Philoſophi reticent, cum hic lateat ianua, qua ad eorum arcanum præbetur ingreſſus, quem cum non niſi à naturalium rerum peritiſſimis haberi velint, aut ſophiſtico aliquo proceſſu fallunt ignaros, aut omninò ſilent operandi modum. Non igitur in duas claſſes abière, quoad rem

Phi-

Philoſophi, ſed quoad modum loquẽdi, & rem eandem explicandi, ſeu occultandi potiùs ſuam intentionem. Quamuis non exiguum lumen ſit Mercurium ſuum oſtendiſſe, in omni reperiri minerà, & ex omni re elici poſſe eũdem, ſiquidem in omni re commoratur, quamuis in vna propinquiùs, in alia remotiùs: & faciliùs haberi poſſit depurãdum ex vno, quàm ex alio ſubiecto, ex auro & argento compactis perfectiùs quidem haberi, at difficiliùs, neque niſi poſt eorundem ſolutionem; in Mercurio verò propinquiùs: neque metalla perfecta abſque eorum aquà ſolutiuà, naturaliter poſſe aperiri; quæ aqua dulcis eſt, non acris, guſtui amabilis, non aſpera; ſolutiua, non corroſiua; naturalis, non violenta, ex quibus attributis cum facilè appareat qualia ſint vitanda, viam præbent ad inquirendum, ea, quæ ſunt accipienda.

Quomodo autem ex eo ſpiritu ſine naturali corporeo auro poſſit lapis confici, iam ſupra dictum, quamuis nemo neget, abſque actuali auro, quo fermẽ-

tetur, aut determinetur ad tincturam aurificam, fieri non posse; est etenim axioma, vt aliàs notaui, non tingere nisi tingatur, nec figere, nisi figatur, & eiusmodi Mercurium fixum, nequàquã haberi posse, nisi in auro, vel argento vulgaribus.

Bini igitur termini sunt notandi, sub quibus consideratur lapis; primus est vniuersalis, & pro corporis humani, immò animalis, & vegetabilis medelà, & hic est auri vulgaris solutivus, neque in huius opus, aureum corpus ingreditur, sed ex solo Mercurio Philosophorum confici potest, licet possit etiam ex auro. Alter terminus est, in quo lapis in ratione tincturæ aurificæ consideratur, & hìc, non nisi per additamentum auri actualis perficitur, quod tamen aurum priùs in alium statum deducitur, quàm factum sit à natura.

Propterea, modò lapidem, modò tincturam, modò medicinam, modò elixir dici rem vnam eandemque constat, sed sub diuersis terminis: quare, cum dicunt lapidẽ fieri sine auro actuali,

li,

li, intelligendi sunt de lapide, quo medicina vniuersalis conficitur, & quæ simul est auri naturalis solutiua, ex quo lapide conficitur tandem tinctura, auro vulgari mediante; quòd vt ad irrisionem, & nugas trahat author, Barnaudum citat, qui huiusmodi aurum negat esse fabrile, sed finissimum, ex minera recenter tractum, optimæ notæ, & obrizum, quale in Regione Heuilath, ad Physon Paradisi amnem reperitur, aut ex Ophir adfertur; & miratur non mitti ad Rypheos montes, ad Gryphos Hyperboreos, vt aurum pro negotio Chymico seligatur. Gen. 2.

Tamen & ipse author, fortasse sui oblitus, seligi opportere docet, aurum optimæ notæ, ignem non expertum, sine quò nihil effici possit. Ergo ex sua sententia, cum tali auro, aliquid confici potest, ergo lapis est possibilis, etiam ipso vel inuito fatente. O magnam vim Veritatis!

Qui sine liuoris notà, de re sibi ignotà differit, verborum sensum intelligat opportet, non nudum verborum sonũ,

maximè cùm ipse qui loquitur, præmoneat, figuratè se loqui. Vbi isthæc cõsiderasset, non censuisset authores de Auro obrizo loquentes, relegare operantes, aut ad Ryphea cacumina, ad Guineenses vel ad Peruvianas mineras, vt aurum obrizon, & apyron, ideſt ignẽ non expertum nanciscerentur, sed ad cerebrum legentis, vt intelligat aurũ, non prout corporeum eſt, & compactum à Philosophis vsurpari, sed priùs solui, & in primam materiam redigi oportere, vt tale euadat, quale eſt in prima sui origine, vbi nascitur; dicitur etenim in Genesi loco citato, isthìc aurum nasci, nascitur, igitur ex semine, quoniam omne nascens, & ipso authore inferiùs concedente, nascitur ex semine; semen igitur auri volunt Sapientes accipi, ad opus Physicum, quod eſt eorum aurum obrizum; aurum vivum spiritum continens, quo multiplicatur in infinitum, ad instar reliquorum vegetantium, & aliorum quæ nascuntur ex semine. Ecce clarum & patentem Philosophorum sensum quem vbique

apertè insinuant, modò aut ne pigeat legere, aut non libeat ignorare, quò liberiùs liceat in ipsos inuehi. Sed processum aggrediamur, ab Authore exscriptum.

Postquàm aurum ex Euilath obtinuit Barnaudus, illud in vulgarem currentem Mercurium reducere docet, ingenti labore, immò addo ego, frustraneo, & post varias operationes, quas referre tedet, cum ad rem non sint, in puluerem quendam modicum reduci, quem postea multiplicandum docet, in laborum ac iacturæ in auro factæ solatium. Processum lubens omitto, & quia tediosus, & quia vanus, & inutilis; sæpiùs namque admonui, nullum processum verum esse, neque eum esse Philosophorum sensû, quem littera videtur exprimere; neque solutionem auri, in currentem mercurium, veram esse ac Physicam, nisi ea fiat, per verum, ac naturale medium, nihil etenim meliùs obtinebit, per violentos illos, solutionis modos, quos pro veris assumit, quàm siquis pro tritico consequendo, eius semen artis

ſpagyricæ beneficio, in ſua principia reduxerit tunc namque diſruptà compage corporeà, deſtruitur ipſum ſemẽ, & eius ſpecifica, ac vegetatiua virtus euaneſcit.

Enarrato igitur vano, inutiliq; proceſſu, in exclamationes erumpit, & miſeros deplorat Alchymiſtas, qui breui ad incitas redacti, Iro, aut Codro pauperiores ſint euaſuri. Fateor & ego ita fore, ſiquis ad verbum eorum quæ legit operetur, neque alium quàm verbalem ſonum inquirat, aut myſticum ſenſum expiſcari nitatur, neglectà præmonitione Sapientum, quà clamant, operationem ad litteram, eſſe diuitiarum diſsipationem; neque ad optatum vnquam vllum peruenturum, cuius intellectus non fuerit primò, in theorica perfectè inſtructus, & cui Naturæ in omnibus vſitatus proceſſus, non anteà innotuerit. Vndè meritò, huiuſcemodi Alchymiſtæ, veriùs lachrymiſtæ deplorandi.

Sed quid, de altera Philoſophorum claſſe ſentiat audiamus, quos aurum

argentumvè melioris notæ eligere docet, illudque ita præparari, vt ampliùs in pristinam naturam restitui non possit. Ita Morienem citat, & Turbam Philosophorum, quorum vt verba prolixa deuitem, summa est: aurum ita præparari opportere, vt ampliùs aurum nō sit, sed modificatum duntaxat aurum. Idem, & de Mercurio; quem tamen iterum ad pristinam naturam redire asseuerat. Sēsus est; aurum ita præparari opportere, vt ampliùs in corpus nequeat redigi, quare tunc non est ampliùs essentialiter, vulgare aurum, de cuius ratione, est malleabilitas, quà caret ita mortificatum, seu modificatum, quod tunc nihil aliud est, quàm quod symbolicè, terram nigram, lapidem nigrum, corpus mortuum, & caput corui appellāt. Ingentem hinc contradictionem elicit, quàm vt eò clariorem reddat Physicis vtitur argumentis, quibus præfatos authores (scilicet) conuincit contradictionis. Audiamus.

Vel aurum illud per aquam Mercurialem solutum in terram, seu puluerem nigrum, est

aurum, vel non est aurum: verùm aurum non esse, Turba expressè dicit: Si non est verum aurum, quomodo illud, per aquam Mercurialem, in tincturam veri auri exaltari potest? cum aurum non verum, verum aurũ producere impossibile sit? Ecce primam cõtradictionem.

Altera elucet in Argento viuo, in Magisterio assumpto, vti ex textu patet, quod cum à forma Mercuriali recesserit, ita vt in pristinam formam reduci non possit, in fine tamen, apertè dicit, atrum puluerem per Mercurium iterum aquescere, *quæ eius erat antiqua natura.* Mercurius igitur reduci, & non reduci in pristinam naturam potest, quod manifestam implicat contradictionem.

Aduerterat vel ipse opponens, argumenti imbecillitatem, ideòque aliquas respõsiones adfert, easque veras, quas tamen interrogationibus, non rationibus impugnare nititur, vt vel ita Philosophos adigat, ad aperiendum arcanũ, vel sibi aditus pateat, ad acriùs redarguendum. Ita enim habet. *Sed*

di-

dicent, per semen auri aqua Mercuriali inditum, in novum aurum, Mercuriali (forsam legendum est, Naturali) *multò nobiliùs resuscitari. Sed quaso, quidnam istiusmodi semen sit? dicent, esse semen auri, per Mercurium in primam materiam extra:ctum* (redactum) *resolutumque. Vrgeo quomodo probas illud semen, per tot dissolutiones, calcinationes, cateras que, tum ignis, tum aquarum corrosiuarum tormenta, non esse destructum? si enim cuiuscunque herba semen tandem coxeris, & recoxeris, deinde coctum, recoctumque terra ad repullulandũ commiseris, dico tantum abesse, vt inde quidquam in novum germen suscitetur, vt potiùs destructà, per tam frequentem decoctionem formà, & seminis vim vegetabilem, vnà perire necesse sit. Nam vti rectè Philosophus, à priuatione forma, ad habitum, non datur regressus: tantùm enim indè consequèris, quantum si saxum ad reflorescendum terra commiseris. Sed dicent aliter se habere, in seminibus vegetabilibus, aliter cum semina metallorum, eòquod in aqua Mercuriali, ex auro minerali extracta, semen lateat auri, quod vnà cum aquis, Terra nigra, Capiti*

Corui, Pulueri atro (sic aurum minerale assumptum, per calcinationes penitùs destructum, mortificatumque vocant) superaffusà, corpus mortuum resuscitando, alba, vel rubra tinctura, pro argenti, aurique ratione, in Lunam, vel Solem conuertere.

Videbat arguens, penè à se, etsi non ad sufficientiam, propriæ suæ obiectioni satisfactum esse, quare, & hoc vltimum responsum impugnare aggreditur, longè tamen debiliori ratione, & contra semetipsum pugnante. Ita igitur vrget. *Vel semen illud est suæ speciei multiplicans, vel non: si priùs dixeris, iam necessariò illud, vegetabilibus inferendum, aut vegetabilium numero adscribere cogèris, adeòq; id in secundum naturæ gradum exaltabis, & consequenter* (obserua magnum inconueniens) *mineralibus, metallicisq; corporibus vitam tribues, quo in Philosophia nihil est absurdiùs. Si verò non nisi analogicè tantum, vegetabile esse dixeris, hominem pictum dixeris, verum hominem generare posse, quod ridiculum, ne stolidum, esset asserere. Si verò dixeris id quadam modificatione esse semen auri, vti Turba loquitur, erro-*

errorem maiorem incurres, cum modificatio, siue modus, vtpotè purum putum accidens, nil substantiæ, ex Philosophorum communi sententià superaddat. Cum itaque nulla ratio supersit, qua Turba, non verum aurum, idest caput Corui in verum aurum, per aquã Mercurialem transmutare se posse, probare queat, nihil restat dicendum, quàm quod auri illius exigua portiuncula, quæ post peractum tanti laboris expensarumque magisterium relinquitur, non à semine auri aquæ mercuriali inexistenti, quod iam à prima sua origine, per tot alterationes etherogeneã, & ab auro vero oppidò differentem formam acquisiuit, sed ab auro minerali primitùs assumpto, naturà suà indestructibili, à fæcibus tamen terrestribus ei secretis ritè purgato prodierit. Sed hæc insequentibus fusiùs prosequemur, vt quàm turpiter Alchymistæ, contra prima Philosophiæ principia peccent, luculenter patefiat.

Hactenùs author; vbi se, & Philosophum magnum, & magnũ naturæ scrutatorem, & abditarum rerum vestigatorem magnum, meritò probat. Sed tamen sobriè ab ipso opposita exami-

nabimus, & sequenti capite, quantùm ab optata palma recedat, ostendemus.

CAP. VI.

Argumenta authoris, contrà Morienis dicta, & Turbæ Philosophorum prolata examinantur.

MVlta sunt, in quibus pœana canens Author sibimetipsi triumphat capite pręcedenti, & Philosophorum contradictiones, inscitiam, imperitiam, ignorantiam exprobrans, eos omnes, penè suppeditauit; quæ cum potissima causa sint, cur hunc (licet exilē) laborem assumpserim, ea excerpam primùm, ac distinctè proponam, dein rationibus euidentibus confutabo.

Primò igitur, contradicentem sibi ipsi, Turbam impugnat, quod verum aurum, ex non vero auro conficiendum censeat, siquidem modificatum aurum, verum aurum esse non potest.

Secundò. Cum dicit Turba, ita omnia mutari, vt neutiquàm reduci queāt, quo-

quomodo docet Mercurium, iterum acquescere, quæ eius erat antiqua natura?

Tertiò. Quomodo probari possit, remanere verum aurum, aut verum auri semen, tot calcinationibus, sublimationibus, ignium gradibus, aquis corrosiuis, debilitatum, quod vtique nulli vegetabilium competere potest, vt post varias coctiones, & recoctiones, terræ mandatum possit repullulascere.

Quartò. An mineralia ac metalla præcipuè, verè vegetabilia sint, an verò duntaxat metaphoricè, & per Analogiam, & an modus, cum sit purum putum accidens, quidquàm valeat conferre substantiæ.

Quintò demum, an verum sit, post tot operationes exilem solummodò remanere auri portiunculam, ex terrestribus fœcibus repurgatam, neque quidquàm aliud ab Alchymia posse expectari.

Quod igitur, ad primam considerationem attinet, rogo, an corpus mortuum eiusdem speciei sit cum viuente,

an verò diuersæ? si dicas eiusdem speciei esse, ergo homo vivus, & cadauer, specie non differunt; ergo homo non constituitur in ratione hominis per animam rationalem, & consequenter, hęc, non erit forma hominis, proindeque homo non erit formaliter, animal rationale. Si dicas esse diuersæ speciei, ergo ab eo quod est specie diuersum, puta à mortuo non potest oriri aliquod viuens, quòd eandem contradictionem inuoluit, quam author opponit. Atqui, ex semine, aut grano mortuo, nascitur vivum granum ac germen, ergo ex eo quod est specie diuersum, aliud speciei diuersæ potest oriri. Subsumptum est certum, imò ex Sac. Scriptura elicitur;
Joan. 12. *nisi* enim *granum frumenti mortuum fuerit* (ecce mortuum) *ipsum solum manet; cum verò mortuum fuerit, fructum multum adfert* (ecce vivum.) Igitur, quod ex auro modificato, seu mortificato, aurum enascatur, nihil est contra leges naturæ. Immò omnia entia actu, fiunt ex non ente actu, sed ex ente potentia, in quo demonstrando toto Physicorum

pri-

primo, laborat Philosophus; ergo quod non est actu tale, potest efficere actu tale, modò tale sit in potentia; qualis igitur contradictio? sicut igitur granū frumenti, mortificatum, seu modificatum, verum granum non est, & tamen verum granum producit, ita pariter aurum mortificatum, seu modificatum, etsi verum corporale aurum non sit, poterit tamen verum aurum producere.

Distinguendum igitur est, inter actū, & potentiam: semen enim quà tale, nō est ipsum compositum actu, sed potentià: idcircò, quando aurum per aquam mercurialem dissoluitur, desinit esse aurum actu, & retrocedit, ad potentialitatem, omninò eo modo, quo tritici granum per aquam, quæ est menstruum vniuersi, & salem naturæ, de actuali grano tritici, in potentiale reducitur, ex quo novum triticum multiplex propagatur. Item, semen hominis, non est actu homo, quia animam non habet, in Aristotelis, & omnium sententia, & tamen in suo ordine verum hominem gignit: idipsum meliùs de equo, cuius De gē. an. 2. c. 3.

tota anima educitur, de potentia seminis, de quo dicit Phil. loco citato; postquam enim docuit, semini animam vegetabilem inesse, subdit, *sensualem etiã quà animal est, tempore procedente recipi*, ergo ex semine, quod non est actu animal; neque enim animam sensualem habet, oritur animal, & sic specie quid actu diuersum, siquidem forma substãtiali diuersum. Cum igitur id in omnibus seminibus videri necesse sit, quid mirum idipsum in auro modificato, & in semen aurificum redacto, euenire?

Ad secundum, in quo contradictio notatur de Mercurio, qui vnà cum auro ita mutatus dicitur, vt nunquam reduci possit, attamen, iterum aquescere, quæ erat eius prima natura: quæ contradictio, non modò in verbis ipsis inest, sed contrà indubitatam Philosophorum sententiam agnoscitur, in qua, à priuatione ad habitum, non datur regressus; sed Mercurius erat à propria natura extractus, neque ampliùs erat, essentialiter Mercurius, ergo nequit iterum ad antiquam redire naturam.

En

En contradictionem apertam.

Dicat quæso arguens; cũ tritici granum putrescit, vtique à sua natura abstrahitur, est enim putredo, per Philosophum, *eorum quæ per partes corrumpuntur, cum à sua propria natura abstracta sunt* ergo, non est ampliùs triticum, neque ampliùs est, essentialiter tale; sicut semen nullum, essentialiter dicitur, aut est illud, cuius est semen, alioquin, & semen equinum equus, & humanum, homo dicerentur, quo nil ineptius, ne dicam stultius. Cum verò excreuerit in spicam triticum, iterumque maturescit, an non ad priorem naturam, vnde semen desumptum fuerat reducitur? quomodò hic, à priuatione ad habitum, datur regressus? tritici granum, fuerat triticum; tale esse desijt, iterumque efficitur triticum. Quid ad hæc? Mercurij erat aquea natura, in puluerem nigrum conuersus, eam amisit; iterum aquescit, quæ erat eius antiqua natura; vbi disparitas? Mercurius vulgi, est currens, & fluidus: sublimatur, precipitatur, turbizatur; amittit fluxilitatem;

Meteorolog. 4.c.1.

igne

igne violento, additâ calce viuâ vrgeatur; iterum fluidus, iterum cuneas efficitur; à priuatione, ad habitum datur regressus?

Quando Philosophi dicunt, non dari à priuatione ad habitum regressum, non sunt intelligendi, quasi doceant, snbiectum aliquâ formâ priuatum, non posse amplius similem assumere, esset enim hoc apertè falsum, namque aqua calefit, iterum frigescit, iterumque potest calefieri. Paries dealbatus, potest denigrari, iterumque dealbxri. Homo qui fuit musicus, & ex accidente memoriâ excidit, si conualuerit, iterum potest in musicum euadere; non sunt ita intelligendi; solùm ergo negant, materiam primam semel formâ substātiali priuatam, eandem immediatè recipere posse, non tamen negant aliam similem, temporis successu, posse recipere, quod & ipse opponens docet, lib. 12 pag. 377. Hoc autem fit, quia cum omnis corruptio fiat per contrarias qualitates, eę vtique sunt dispositiones ad formam diuersam, quæ immediatè intro-
sec. 1. c. 6.

troducitur; quare nequit ampliùs eadē reuerti, sed nouis redeuntibus dispositionibus, nil prohibet, priori similem introduci, immò & excellentiorem, vt apparet in omnibus quæ per semen generantur, quia cum hæc corrumpitur, vtique non ampliùs id quod fuerat efficitur, sed excellentiori modo in novū indiuiduum excrescit, nimirùm cum virtute seminali multiplicabili, itaut quod primà vice vnicum duntaxat fuerat producturum, iteratà reuolutione, quinquaginta, aut sexaginta eiusdem speciei indiuidua possit producere.

In opere igitur Physico, idipsū prorsùs euenit: nam cum aurum in mercurialem aquam soluitur, siue argentum vivum, aut hydrargyrum, protinùs à priori naturà remouentur, & quæ purè putè corporalia fuetant ac mortua, (vt de tritico dictum) protinùs efficiuntur spiritualia, ac vegetabilia. (intellige spiritualia, non Angelus, aut anima rationalis, sed subtilia, ac spirituosa). Porrò cum Mercurius humidus sit, ac fluidus, in hac mixtione fluiditatem

amittit, eo modo, quo, cum præcipitatur, & quodammodo in terram, seu lutum vertitur, & quoad apparentiam, imò & essentiam suam priorem naturã amittit, quæ cum frigida esset ac humida, calida & humida efficitur, & ex aqua in aerem vertitur; & quod erat manifestum occultatur.

Cæterum, cum iam vtrumque permixtum, in sua aqua putrescit, & ex putredine repullulans, incipit rursùs exurgere, tunc sensim quod occultum fuerat manifestatur, & humiditas illa delitescens, cum non euanuerit (est siquidem incorruptibilis) exerit iterum sese, iterumque Mercurius pristinæ restituitur humiditati; & ita verificatur quod docuit Hippocrates, corruptionẽ esse occultationem manifestorum, generationem verò occultorum manifestationem. Ecce Mercurium ad humiditatem rediisse, quæ erat eius antiqua natura: non tamen reassumit eandem omninò, & secundum omnia, sed similem secundum fluiditatem, longè tamen excellentiorem secundum omnes

lib.1. de Diæta.

nes alios gradus perfectionis; non secùs ac ex grano tritici exoritur ſpica, ſimilis quidem ſecundum apparentiam triticeam, quæ erat eius propria prima natura, ſed longè quoad reliqua excellentior, quia multiplex, & multiplicabilis in ſpecie, quod fieri non poterat, niſi prioré triticeã formã amiſiſset. En magnam contradictionem Turbæ! En Philoſophici axiomatis oppoſitionem!

Ad Tertium. Quis dixit Authori, aurum, antequam connertatur in ſemen, tot ignibus, calcinationibus, aquis corrodentibus, alijſque huiuſcemodi laboribus tractandum? vt poſt tot coctiones, ac recoctiones, impoſſibile ſit, non amiſiſſe naturam? ille qui omnem Phyſicum procedendi modum nouit, non puto, ad has nugas, ſincerà mente deſcendere, ſed Philoſophico more, cũ vulgaribus Alchymiſtis egiſſe. Non enim ignorat, omnes aquas corroſiuas, ac deſtructiuas exulare ab opere Chymico: omnem ſolutionem, eà exceptà, quæ naturalis eſt, & cum conſeruatione ſuæ formæ vegetatiuæ,

& augmentatiuæ, damnatas esse: nullam aquam metalla naturali solutione resoluere, præter eam quæ cum ipsis, in materia & forma persistit: nullam nisi eam, quam eadem recongelare possunt, & in propriam vertere naturam.

Ineptum igitur est omnimodè exemplum de vegetabili semine cocto, ac recocto; primò quia hic nulla est coctio, aut recoctio, sed solutio in suo naturali menstruo, prout etiam soluitur semē vegetabile in suo. Præterea, semen metallicum est aqua incorruptibilis, non ita semen vegetabile, quare claudicat exemplum in omnibus, & est ex falso supposito.

Quod si tamen per vegetabile semē, rem lubeat exemplificare, dicendum; postquam granum in spica exortum est, opportere illud ad maturitatem coqui, e spicis excuti, e paleis mundari, iterùm exsiccari, denuò terræ committi, destrui, id est putrescere, antequam renascatur. Ita aurum opportet lauari (vt cum Hyppocrate loquar) tundi, igne molli liquari, adeòut forti vltrà

non confletur, & ita paratum in Aqua Mercuriali, terræ Philosophicæ committi, vt inde enascatur filius Solis, qui parentibus non assimilatur, longè ijs in claritate nobilior, in excellentia perfectior, in virtute efficacior.

Sed modò, ad operis cardinem accedamus, nimirum ad quartum in quo de mineralium vi vegetabili, & an modus aliquid valeat in rei substantia immutare, inquirendum.

Quantùm ad primum: Axioma est apud Hermeticos omnes, omne nascẽs, & crescens, oriri ex semine. Porrò aurum nasci habetur expresse in Genesi, de Heuilath ad fluvium Physon, in qua nascitur aurum. Præterea, quidquid semen habet in quo multiplicatur, pollet vegetatiuà virtute; hoc ergo quia Oppositor opinatur esse in Physica stultitiam, de huius rei veritate, altiùs aliquid erit indagandum.

In hac quæstione plurimum esse de voce, non est dubium, an scilicet dici possit esse verè, & realiter semen, id quod rem alioquin naturà suà indiffe-

rentem, ad certam, & determinatam ſpeciem alligat, & obſtringit; an verò illud tantummodò dici conueniat ſemen, quod à corpore edentis ſeiunctũ, in aliena matrice receptum, aptum eſt ad nouam generationem promoueri. Et hæc eſt quæſtio de voce. In qua.

cap. 1 Certum eſt ex Sacra Geneſi, herbis, arboribus, ac animantibus, ſemen inditum eſſe, quo multiplicantur in propria ſpecie, & quidem tale, quod corpore integro permanente, ab ipſo ſeiungitur, ſeruatà vi multiplicatiuà, & huiuſmodi ſemen, nullus Philoſophorum dixit in mineralibus reperiri; eſſe nimirũ quoddam adnaſcens, ab ipſo metallico corpore ſegregabile, remanẽte metallo in ſua integritate; & hoc pacto concedimus mineralia tali carere, & eſſe ſtultum id aſſeuerare. Aduerte tamen, Sacrum textum hoc loci, loqui de ijs quæ ſuper terram ſunt, non de ijs quæ ſubtus terram naſcuntur, habentur enim expreſſa hæc verba *cuius ſemen in ſemetipſo ſit, ſuper terram:* quare, licet non aſſeruerit de exiſtentibus

in-

infra terram, non tamen negauit; & cũ vnius inclusio non semper sit alterius exclusio, maximè cum de alio mentio nulla fit in textu, nõ potest dici hoc loco negatum esse semen metallis. Quod si dictum fuisset, germinet terra herbã virentem, & producat minerale, sitq; in herba semen, tunc minerale videretur exclusum, & in hoc casu, locum haberet regula. Hæc igitur de semine, seu corpore seminis dicta.

Præter corpus seminis, vis est in rebus, ac virtus quædam, quà vniuersalis spiritus, seu semen vniuersale naturæ specificatur, & ad certam speciem determinatur ac cogitur, mediante quà indeterminatum illud, modò in hanc, mox in illam speciem formatur. Huiusmodi semen, omnibus mineralibus inest, cuius defectu, *non omnis fert omnia tellus*. Est namque vis ista, veluti sigillum quoddam rebus impressum, ab Intelligentia Diuina, (quemadmodum Alexander de Ales loquitur) & virtus, quà omnia in suà specie multiplicantur. Cum igitur nascatur aurum, 7. Metaph. f. 131.

vt vidimus, ſemen habet ex quo naſcatur, & multiplicetur, quod clariùs dicetur, vbi de ipſius auri vegetabilitate, necnon de mineralium omnium vegetatione diſſeremus.

Veluti igitur de ſemine dictum, ità in Voce *Vegetabile* eſt quæſtio plurima de nomine: ſi enim Vegetabile dicas id quod augetur in propria ſpecie quaquauersùs, & multiplicatur proprià vi intrinſecà, per coagulationem alimentalis ſucci, nego mineralia non vegetare: quod ſi dicas ea ſolùmmodo vegetare, quæ per iſtrumenta etherogenea, ſuccum alimentalem trahunt, tunc concedo mineralia non vegetare. Quare diſcrimen accipito.

Vegetabilia quæ ſuper terram ſunt, de quibus in Geneſi, ſemen à ſe diſtinctum obtinent, & integra permanendo, illud à ſe ſecernunt, non tamen ita, quin eandem virtutem ſeminalem non retineant in toto corpore (quod maximè obſerua) namque, omnes ſurculi, idonei ſunt ad multiplicandum ſemetipſos abſque alio diſtincto ſemine. Id-

ipſum

ipſum quodammodo in mineralibus euenit; non quod ſemẽ diſtinctum habeant, ſed quod in toto corpore virtutem obtineant aquam illam coagulandi, & in propriam conuertendi naturã.

Circa vegetationem verò eorum, quæ ſuper terram ſunt, habent organa, & inſtrumenta diuerſa à corpore alito, quibus ſuccum alimentalem trahunt, quibus carent mineralia; ipſa namque à totà ſubſtantià trahunt ſuccum, eumque in ſe conuertunt. Huius rei ratio eſt: quia cum Plantæ, extra terram emineant, ſuccus verò alimentalis in terra lateat, egent iſtrumentis, quibus in totum corpus cibus diſpenſetur, ideòque in plantis ſunt quædam cauitates in longum porrectæ, vſque ad cacumen, per quas ſuccus alimentalis aſcendit, at mineralia, cum ſint in loco ipſo, vbi eſt alimentalis ſuccus, non egent organis, aut inſtrumentis quibus illud attrahant, ideòque nutriuntur immediatè; hoc tamen antequàm in corpus cõpactum violentia ignis vrgeantur, quia tunc ſpiritus, & vis illa attractiua red-

ditur inepta ad operandum, vtpotè corpore denso impedita. Apparet hoc in fodinis in quibus aliquando non modica auri frusta fuerunt inuenta. Hanc verò vim attractiuam, & conuersiuam esse, & in ipsa terra metallica, patet experimento; namque terra mineralis, e qua semel metallum fuit separatum, sibi relicta, post aliquot annos, iterum eiusdē generis metallo fit diues, quod sanè fieri non posset, nisi in ipsa vis illa attractiua, & conuersiua lateret; ergo, ideò quia isthic relicta fuere metallica semina, aquæ mineralis specificatiua, & coagulatiua. Hoc ergo est apud Chymicos esse vegetabile, penes metalla; non analogicè, aut metaphoricè, sed verè, ac realiter.

Et quemadmodum in animalibus dantur varia animalia, quibus varia vitæ exercitia competunt, quæ licet non habeant omnes sensus, attamen sunt animalia, vt spongiæ, ostreæ, murices, & similia, ita inter vegetabilia danda sunt varij generis vegetantia, quæ licet non omni modo quo reliqua augeātur,

ni-

nihilominùs tamen non eſt quin ſint de genere vegetantium.

Non eſt ab hac doctrina alienus Autor noſter, qui ſemen metallorum, aquam illam Sulphureo, Salino, Mercurialem eſſe docet, quæ cum in viſceribus terræ Sulphur clarum, purum omnis impuritatis expers habet obuium, tunc in argentum, & aurum, pro ſulphuris digeſtione ac maturitate conuertitur. Sulphur igitur illud ſemen eſt aurificum, aut argentificum, quod vtique metallo ineſt, cum quo coagulatur. Cum igitur iterum aperitur, cum vim ſuam non amiſerit, ſed corporeà mole obrutam ſeruarit illeſam, cum apertum eſt metallum, eandem exerit, & aquam mercurialem depuratam nactum, eandem rursùs coagulat: quia verò vires eius ſunt auctiores effectæ, non iterum in corpus craſſum, ſed ſubtilius concreſcat eſt neceſſum, ideòq; maiorem tincturam nanciſcitur, & vim vberiorem aquæ copioſioris coagulandi. Quod ſi aquam iam actu metallicā, & concretam repererit, eam ſuà vi pur-

gat, & defœcatam figit, ac tingit in colore propriæ ſulphureitatis. Ita ſe habet metallorum ſemen, & virtus vegetatiua.

Diſcrimen eſt autem inter ea quæ per ſimplicem iuxtapoſitionem augentur, ex quo innotuit accretio, & inter ea, quæ per intus ſuſceptionem; vnde Vegetatio, ac demum inter hæc media, quorum non eſt, aut ſimplex accretio, aut abſoluta, & vulgaris vegetatio, cuiuſmodi eſt herbarum: nam quæ ab extrinſeco accedunt rei, eique vel per alicuius ſucci adſtringentis beneficium, vel acceſſione alicuius ſalinoſæ materiei adhærent, à corpore cui accedunt extraneæ, & dicuntur per accretionem augeri; neque ijs eſt vllus vitæ ſpiritus, aut operatio vlla ab interno principio: quæ verò per ſemen à corpore ſeparabile orta, per etherogenea inſtrumenta alimentantur, ſimpliciter vegetabilia dicuntur: quæ tandem ab interno quidem principio coagulantur, itaut principium illud à corpore cui ineſt, non ſit ſeparabile, corpore in ſua

in-

integritate corporeà permanente, habentia virtutem internam succum alimentitium in propriam naturam conuertendi, hæc vità minerali viuere, eàdemque uegetari dicuntur.

Huius rei argumento sunt, quæ supra notaui, de terris mineralibus, ex quibus Plumbũ, Aes, Vitriolum aut Nitrum excoctum, quæ post certam annorum seriem, iterum eiusdem rationis metalla, ac mineralia producunt, quod sanè futurum non esset, nisi semẽ minerale illis vegetativum inexisteret: neque enim illa, quæ per iuxtapositionem crescunt, semel abraso accremento, iterum aliud eiusdem speciei acquirent vnquam, vnde manifesta diuersitas est in istis. Mineralia quidem, ab intrinseco motus initium suscipiunt, proptereaq; à Natura, & vitaliter mouentur, non item quæ per simplicem iuxtapositionem crescunt, quorum nullum ab intrinseco ad eum motum est agens, sed simpliciter per accidens, & ab extrinseco.

Ex dictis obseruandum, contra Au-

thorem, terras minerales, per coctiones, & assationes, ac recoctiones diuersas, non propterea mineralem vim amisisse, neque virtutem coagulandi vniuersale semen, in sui primordialem speciem; quare multò minùs aurum vim amittet aurificam, cum absque omni violentia, in aqua mercuriali sibi pro-
lib.12 pria dissoluitur. Meminerit insuper, loco citato docet, neque in ipsis animãtium corporibus, iam putrefactis, & corruptis semen specificum interire, & vim sèminalem in salibus conseruari; quanto ergo magis conseruabitur in metallis, ijsque perfectissimis?

Quid demum ad auri modificationẽ allatam sit dicendum, facilè est videre. Nõ loqui nos hic de modis illis chymericis, quos siue Vbicationes, siue Durationes, siue Vniones, Relationes, & similes Modalistæ confingunt, quamuis etiam ijs admissis Opponens perimatur, cum ijs datis, non pura puta accidentia sint, sed substantiales entitates, quemadmodum de Vnione acriter P. Arriaga meus olim Magister ho-

norandus contendit. Quin tantum ad rei ſubſtantiam conferunt modi iſti, vt Vnione ſublatâ, non ſit ampliùs compoſitum, ſublatâ Vbicatione, non ſit vltra res in loco, nec ſine Duratione, in tempore. Non tamen huiuſcemodi modis affectum aurum intellexit Turba, cùm modificatum dixit; ſed ſenſus eſt, aurum ſe alio modo habere, quàm aurum vulgare: vulgare ſiquidem aurum corporale, & craſſum, proprioque termino clauſum eſt, & malleabile; at Philoſophicum alio ſe modo habet; namq; humidum eſt, ſpirituale, terminatum alieno termino, quippe aqueum, non malleabile, neque corporeum. Ecce modos quibus Chymicum aurum modificatur; quibus an ad eius ſubſtantiã aliquid accedat conſiderandum ipſi Opponenti relinquo. Glacies, & aqua, non differunt in eſſentia, ſed ſecundum modum: item aqua & vapor, hic enim Philoſopho teſte, eſt ſubſtantialiter aqua; differunt tamen, ſecundum modum eſſendi; alio enim modo ſe habet concreta, alio ſoluta, alio corporea,

alio

alio vaporosa: En quantum modi conferant ad rerum essentias.

Sed in ipsa communi Scholarum doctrina examinemus, num ad rerum substantiam aliquid conferant accidentia. Non ego sententiam eorum adducam, qui accidentia docent ipsas substãtias producere, in virtute substantiæ; sed eorum, qui substantiam ita arbitrantur afficere, vt se habeant ad ipsam in ratione vltimæ dispositionis, cui substãtialis forma respondet: quare, modificatio illa auri, dici poterat eius vltima dispositio ad formam vlteriorem, eamque longè excellentiorem, ac perfectiorem, cùm dispositiones essent longè perfectiores; & ad præstantiam dispositionum, correspondeat, & forma.
lib.8. sec.4. c.3. Sed ipsius Authoris doctrinam amplectamur, qui de Draconum Genesi hoc eodem volumine disserens docet ipsos oriri ex varia cadauerum congerie, quorum singulorum seminis portiuncula quædam conseruatur reses, quæ in Draconum productione concurrit, quod semen, cum substantialiter tale

ani-

animal dici nequeat, vtique vel modificatum erit, vel ex accidente quodam disponente dicit, necesse est id effici, vt in talem formam, aut talem consurgat. Immò, omnem vim seminalem vegetabilium, in vnico salino corpusculo conseruatam reperiri fatetur, in quo sal, sulphur, ac mercurius, quæ tria principia vtique arte Spagyricà separabilia sunt, inseparabili nexu persistunt. Estne hic substantiarum eadem persistentia? modificatio? vel accidentalis alteratio? quidquid hic ipse responderit, idipsum ego de auro, de quo Turba loquitur, respondebo. lib. 4.

Dixit deniq; post tot labores aliud nihil reperiri, præter exiguam auri portiunculam, à fœcibus depuratam. Quis rogo id ipsi retulit? an forte proprio labore est expertus? minimè gentium, sed Barnaudum hoc dixisse asserit, qui ob solatium expensarum, & iacturæ, ad multiplicationem eius hortatur laborantem. Ego non tuebor Barnaudum, neque eius procedendi modum probabo, vti neque aliorum, quorum

opera citat, & aliqua etiam sequuntur inutiliter Libauius, & alij plures; sed loquor de opere Philosophorum, quod cum longè aliud sit, & simpliciter naturale, inde fructus ad modum germinantium enascitur. Exigua profectò est seges illa, quæ non quina, aut sena pro singulis protulerit: neque Philosophorum vllus tantum auri pro labore insumit; satis enim est pro semine, exigua portiũcula, quemadmodum in vegetabili, vnicum semen Papaueris; Et hoc maximè in minerali, quia cum metalla homogenea sint, quælibet quantumuis minima particula, totam speciẽ complectitur; estque adeò spirituosa, vt sola irradiatio sufficiat; quod in vi Medicinali mineraliũ elucet, vbi Hydrargiri exigua portiuncula, indesinẽter aquam afficit, ad necandos in corpore paruulorum lumbricos. Idem est de vitro stybij, aliisque Spagyricis medicaminibus, e mineralibus sumptis. Sed de hoc adhuc clariùs dicetur, in responsione ad sequentium processuum examen, in quibus, & de virtute Lapi-

dis, & de eius multiplicatione differemus.

Sed obijcit contra dicta, de auri modificatione, in qua asseruimus, eam esse vltimam dispositionem ad formam perfectiorem, quia ex Philosopho species sunt sicut numeri, & in indiuisibili consistunt, ergo si aurum modificatum perfectiùs est auro simplici naturali, non erit ampliùs eiusdem speciei, ergo aurum eiusdem speciei cum naturali non producet. Respondeo formam illam auri perfectiorem esse, non ratione essentiæ, sed ratione virtutis, & ex accidente, quemadmodum omne semen esse nobilius ac subtilius acquirit, quàm in corpore habebat; in eo namq; non erat multiplicativum. Ita anima, à corpore corruptibili separata, cum in corpus incorruptibile in ressurrectione regredietur, hominem non efficiet specie diuersum ab eo, qui de facto est mortalis, & corruptibilis. Sensus ergo Philosophi est de essentiali diuersitate formarum, non de accidentali.

Mat. f. 7.

CAP. VII.

Examinatur perfectum Magisterium, e Raymundo, Azotho, alijsq; desumptum, ab Authore Mundi subterranei introductum, vbi rursùs de vi vegetatiua, & multiplicatiua metallorum disseritur.

CApite quarto Author, complemẽtum processus ex Azotho desumpti exscribit ad litteram, in quo terrã iam dealbatam, fermento albo, vel rubro fermentandam docet, & reiteratis imbibitionibus, coctionibus, & fixationibus, ad vltimum complementum deduci. Post hæc, suæ peritiæ schema proponit, & exactam terminorum Chymicorum intelligentiam; nempè quid sit terra foliata; quid sit stare in complemento tincturæ, quid terra alba, quid anima, corpus, spiritus, & similia. Cæterum cum hæc nomina variè à varijs vsurpentur, non semper apud omnes idem significant; sunt etenim varij

ter-

termini rei eiusdem; & cum duplex sit operatio, in qua finis prioris est initiũ alterius, non benè pro eadem semper assumuntur. Idipsum est de aqua reseruata, de spiritu in partes diuiso, ad imbibendum, & coagulandum, & ad matrimonij copulam; est etenim & hæc duplex. Item quid fermentum, nempè aurum purissimum; (& hoc est duplex) in calcem per Mercurium redactum (sed non primum fermentum) & ad instar perfecti triticei fermenti, ita tamen in virtute exaltatum, vt totum in verum, ac formale aurum conuertat.

His positis inuehitur in Philosophos, quod tribuant huic rei virtutem spiritualem definitiuam essendi in loco, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte, quod imperitè, & perperàm dictum affirmat. Sed parcat, non benè intellexit sensum Philosophorum, qui non docent de modo essendi in loco, sed de virtute fermenti, quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte, quemadmodum in omnibus homogeneis, tota essentia est in toto, & tota in qualibet

parte;tota essentia aquę est in toto mari, & tota in quauis guttula: Item totus ignis in sua essentia est in tota Sphæra (si detur) & totus in quauis scintilla: Ita se habet in fermento, tota fermentandi vis est in tota massa, & tota in qualibet parte, sed secundum proportionem, pugillus fermenti tantam vim habet fermentandi certam massam farinæ, quantam haberent mille modij fermenti in farinæ quantitate, sibi proportionata. Estne hoc, esse definitiuè in loco? Benè docent Philosophi, sed malè intelliguntur. Explicat dein, quid sit matrimonialis copula, de qua tamen adeò cõfusè asserit loqui Philosophos, vt ipsi nesciant quid dicant. Ipse Autor, pro primo Lapidis ortu interpretatur; quod tamen est falsum; Matrimonium enim dicitur dupliciter, vel quando corpus & spiritus iunguntur in opere primo, vel quando in opere secundo miscentur fermenta, e quibus postquàm factum est vnum, & insimul inseparabiliter coière, tunc est primus Lapidis ortus, & non antea; quare Autor

antecedentia pro consequentibus, & consequentia pro antecedentibus, per isteron proteron intellexit: Vnde non est in his omnimoda terminorum peritia. Explicat demum quid nomine Olei, Chaotis, Solis, ac Lunæ sit intelligendum; tandem concludens epiphonemate, esse *Hoc Artis Chrysotechnicæ Archetypon, quod omnes magnæ Artis authores respexere*.

O ridiculum Archetypon! Omnes veri magnæ Artis Authores, & Scriptores, rem asserunt absque manuum appositione confici: esse ad instar oui, in quo compositis inuicem seminibus, opus totum Naturæ committitur. Morienes assimilauit Magisterium generationi hominis; in quo cum terra de aqua incipit retinere aliquid, dicitur conceptus, inde pregnatio, cæterique gradus subsequuntur, vsque ad fœtus cõplementum; & quemadmodum nunquam aperitur vterus, semine semel immisso, vsque ad fœtus complementum, alioquin efficitur abortus, ita in opere Physico; quare omnes præpara-

tiones præcedunt antequàm coniungantur principia, vnde opus Physicum initium sumit.

Quoniam verò duplex est opus, vt diximus, quorum alterum incipit, vbi primum desinit, ideò diuersimode de ijs loquuntur; subinde primo operi attribuentes ea,quę secundo competunt, & è contra; & interdum primo operi, secundum præmittunt, vt fallant ignaros. Neque propterea deceptores, aut impostores dicendi, quoniam præmonent legentes claris verbis, *Si scis, tibi diximus, si nescis, nihil diximus.* Qui igitur nescit ei,nihil dicitur; propterea iniquum est huiuscemodi in rabiem verti, & eos Impostores, Nebulones, Sacrilegos, Imperitos, Philosophiæ ignaros declamare, eosque à proborum virorum consortio, veluti indignos, proscribere.

Hinc ad singulos Philosophos descendens, vitæ quodammodò, ac morum inquisitionem instituit, & ex eo, quod variè Lapidem appellarint, imposturam elicere se posse contendit.

Dre-

Drebelium igitur redarguit, quod artem à Lullio desumptam, in admirãda elementorum ad inuicem transmutatione inuoluerit, cuius cum doctrinæ profunditatem confutare nequeat, ad fictitias (scilicet,) Alchymistarum machinationes, & admirandas Naturæ operationes, & transmutationes traduxisse censet: quod postea se ostensurum pollicetur, neque tamen præstat. Certum profectò est tractatum Drebelij de elementis, licet exiguum, adeò sapienter de eorum vi, ac natura disserere, vt sublimius, aut magis naturæ conforme, aut acuratius nihil dici possit.

Ioannem dein ab Hassia carpit, quod omnia, ex Lullio, Azotho, Arnaldo excerpta, fumosà verborum obscuritate inuoluerit. Sed quid hoc ad Lapidis impossibilitatem?

Melchiorem post hos Cibinensem execratur, quod Artem, væsanà mentis væcordià, parabolis ex Canticis desumptis; immò Sacræ Lythurgiæ mysterio compararit: quasi detestandum

crimen fuerit, res naturales sacris assimilare; cum tamen ipse Saluator Regnum Cœlorum non semel naturalibus rebus æquipararit; vt homines, à rebus notis, ad res ignotas eleuent mentem: Vt enim Diu. Gregorius loquitur, *Regnum cœlorum idcircò rebus terrenis simile dicitur, aut comparatur, vt ex his quæ animus nouit surgat ad incognita, quæ non nouit.* Immò ipse Apostolus, inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt docet agnoscenda. Quid ergo sacrilegum reperitur in eo, quod res naturales, ipsasque operationes Naturæ, quæ Dei opus est, ipsis sacris, aut allegorijs, aut mysterijs adaptemus? Sanè hi non sunt abusus profani. Quid sacrilegum est, quod ipsam Naturam consacramus, Deoque in sacrificium, tanquam omnium bonorum datori offerimus, similitudine ab immaculato sacrificio desumpta? non eo animo, ac fine, vt humilem Naturam summo Opifici, vt rem ordinis inferioris, ordini supremo æquiparemus, sed vt quantum in nobis est Deum, tantorum bonorum

Hom. in Eu.

Rom. 1.

da-

datorem glorificemus.

In Michaelem dein Sendiuogium irruit, quem vna cum nescio quo Mollefelsio impostore, a Duce VVirtembergico carceribus mancipatum ob imposturam asserit, & Mollefelsium quidem dignuo affectum supplicio, Sendiuogium verò fugà elapsum, nusquàm ampliùs comparuisse. Scio equidem ipsũ Sendiuogium monere, vt si quem Deus tanto dono dignatus fuerit, caueat sibi à Magnatibus, in discrimen etenim incidisse, quoties se se illis aperire voluerit. Idipsum monet & Lullius in libro experimentorum, hac se de causa ab Anglorum Rege, carceribus esse detentum, quod cum aurum contra Turcam adhibendum, in Gallicum bellum insumpsisset, aliud exposcenti ipse Raymundus subministrare noluerit. Attamen tandem euasisse; ideoq; monet & ipse, cauendum à talibus.

Fuerit verò ille, de quo Author, verus Sendiuogius, an potiùs suppositititius, meritò ambigere possumus; plures .n. sunt, qui famà magnorum virorum in-

uitati, ſeipſos eſſe ſimulant, quos in prætio haberi intelligunt; vt aditum ſibi faciliorem aperiant, ad decipiendũ, & alienà virtute tumẽtes, propria ſcelera tegant. Noui & ego anno *1626* in Morauia extitiſſe quendam, qui Sendiuogij nomine plures decepit: immò ab Inuictiſſimo Ferdinando II. Cæſare, fuerat prædijs ſatis copioſis donatus, cum tamen omnis veræ operationis ignarus, nil niſi Sophiſtica pertractaret. Libellus attamen duodecim tractatuũ, quem vt iam diximus, contemnit Autor, ob molis tenuitatem, profundiſſimà tamen eſt rerum naturalium mole opulentus; & qui non ita ſentit, aut non intelligit, aut perperam de re ignota iudicare præſumit; vix enim enucleatiùs aut Naturæ operatio, aut virtutis ſeminalis actiuitas, aut materia ſecũda, quà ad omnes operationes immediatè Natura vtitur, poteſt explanari; quare immeritò cenſurà notatur, & expungitur. Doctrina ſanè fuerat impugnanda, non in hominis innoxij, & verè Philoſophi famam inuehendum.

Cæ-

Cæterum, quia huius doctrina ea est, quam ipse Author lib. 12. profitetur, puto, ne videatur à Chymico eam assumpsisse, propterea callidè hominem tantum damnasse. Aggreditur post hæc Paracelsum, cuius ego neque patrocinium sumo, neque defensionem ago. Fateor ipsum obscuris inuolucris verborum res suas obuelasse; quicquid de eo sit, an Chymiæ, necne peritus extiterit, ipsius scripta loquuntur. Profectò de Medicinali peritià, amplum eius epitaphium exibet testimonium, in Ecclesia Parochiali Salisburgi, vbi eum Podagrã, Lepram, Elephantiasin, Hydropem, *dira illa vulnera*, felicissimè curasse dicitur. Satis quoque constat, solidam reperiri in eius libris de rebus naturalibus doctrinam, ac primum fuisse, qui immediata mistorum principia, generaliter cõstituerit, Salem, Sulphur, ac Mercurium, quæ ipse Author non dedignatur venerari, licet Authorem adeò fœdè insectetur. Quod si aliqua ab Ecclesia damnata in suis scriptis inseruit, ea fuerant improbanda, quem-

ad-

admodum & ego deteſtor, in ijs duntaxat Authorem admittens, quæ ipſa Eccleſia concedit.

Sed quid ad Artis veritatem infirmãdam hæc faciant, non video, neq; enim ego hunc pro Anteſignano Chymicorum amplector; eſto etenim nihil in Chymica intellexiſſet, propterea Lapis nõ eſſet poſſibilis? Scio plurimos ipſum adhuc viuentem iactaſſe; ſcio & ipſum odio acerrimo in plures arſiſſe: immò eius diſcipulos, cum Magiſtri doctrinã capere non poſſent, neque ipſe clariùs communicare vellet, in eundem denique calamos acuiſſe, & ſtylum; iure, an iniuriâ, iudicet æquus æſtimator: hoc namque ad noſtrum intentum non facit. Lullium demum in ſcenam adducit; quem Arabicà doctum linguà Arabum libros latinæ fidei donaſſe affirmat. Vt vero eum alicuius inſcitiæ inſimulet, librum, cui Clauiculæ nomẽ ab ipſo editum, aſſerit ab Arnaldo confutari. Concedam facilè, ipſe namque Raymũdus, antequam Artem calleret, Arnaldum acceſſit, & contradictioni-

bus acutiſſimis eò Senem adegit, vt impatiens contumaciæ, ei totam Artem aperuerit: quare Raymundus Arnaldũ pro magiſtro agnouit, à quo commiſtionem mineralis cum vegetabili ſe didiciſſe fatetur.

Errorem Authoris hoc loco animaduerto, de Alchymiæ vetuſtate, qui ab Imperatorum temporibus primùm innotuiſſe opinatur; quod ſi addat *Italiæ* concedam facilè; neque enim antea Romani Aegypto potiti, Arabum libros intellexerant, ſed demùm, eà in Prouinciam redactà, eorum pariter ſcientiam in Italiam deuexere. Et Raymundus ab Arabibus, qui Hiſpanias occuparant & Arabicam linguam didicit, & Magiſterium, vt non nouitas ſcientiæ, ſed noua eius cognitio fuerit in Europam noſtram inducta. Idem fuit de Philoſophia, de qua ante Ciceronẽ in Tuſculanis, nemo Latino idiomate diſſeruerat, & eodem ferè tempore Lucretius Epicuream doctrinam Heroico carmine edidit. Idem eſt prorsùs de Aſtronomia, & Aſtrologia, de

qui,

quibus Romani, nō nisi tardiùs, habuere notitiam. Nunc ad rem.

Dictum fuit initio, Philosophorum studium in eo totum situm esse (ipsismet profitentibus) vt Artem occultent: quare, & contraria, & repugnantia dicere videntur, cum tamen reuerà, verbis tenùs, non re sibi inuicem aduersentur, admonent etenim, rerum considerandam naturam, ac naturæ ipsius operationem: Quod si ea quæ loquuntur, & legimus, Naturæ congruāt, ibi similitudinariè, & figuratè loquutos esse sciamus: Admonent siquidem ibi veritatem latere, vbi in consensum venerunt; & sub parabolis, ac ænigmatibus Artem, ac veritatem occultasse, neque audiendos esse, cum clarè loquuntur: Quapropter, cum admoneant, & modum ostendant, quo eorum scripta legi opporteat, si ab aliquo malè intelliguntur, si ad verbum operantes nihil inueniunt, sibi, ac propriæ inscitiæ, non Philosophis imputent. Quare missis inanibus processibus, poterit quilibet intelligere eos inutiles esse, neque veri-

ta-

tatem in illis ad litteram perceptis, esse requirendam, ideoque propriæ culpæ esse norit, cum laborarit in cassum, quia vt sæpè dictum, operatio ad litteram est dissipatio diuitiarum.

Difficilis ergo non ero in concedendo, quod Author in titulo capitis quinti posuit, processum nimirum traditũ non posse subsistere, non quidem quod falsum contineat in sensu mystico, sed quia ad litteram executioni mandatũ non respondet euentu. Quod verò in capitis textu asseritur omninò est falsum; quod ostendo.

Primò, ipse falsitatem arguit, ex cõtradictione Auctorum, vbi potius contrarium opportebat concludi, hoc pacto. Authores innumeri omnis generis, ac variarum ætatum Arabes, Chaldei, Persæ, Græci, Latini, Hispani, Angli, Galli, Germani, Poloni, Daci, Hungari, Itali, diuersis temporibus, diuersis locis, diuersis idiomatibus, profundissimis doctrinis, rationibus omninò necessarijs, de veritate Alchymiæ scripserunt, ergo Alchymia est vera: atqui

omnes iam dicti, vno ore clamant, in odium ignorantum esse occultatam, ergo est occultata; quare si occulta, nullus clarus processus est verus, ergo neque Azothi, neque Barnaudi, neque alius cuiuscunque, qui eius compositionem, ac constructionem clarè, ac methodicè se tradere profitetur.

Quod si subsumas, ergo qui dicunt se tradere veros processus, & veram methodum sunt nebulones, & impostores, distinguo consequens; Si ij non simul theoricam, ac admonitiones debitas præmittant, concedo consequẽtiam, si præmittant, quemadmodum omnes veri Philosophi faciunt, nego consequentiam; hi enim docẽt omnes, nullam habendam fidem, cum de re adeò ardua ac sublimi, se clarè loquutos dicunt.

Ad quid ergo scripsisse? Ad hoc, vt sciant hoc opus arcanum esse naturale, ac verum: Naturam operari eo modo, quo ipsi manualem operationem præscribunt: sciant insuper analogiam esse inter res, quas ipsi dicunt accipiendas,

& res, quibus ipſa Natura vtitur, & te adhibere conuenit, vbi vèrus Naturæ imitator eſſe cupis, eamque, vel à te, Natura mediante, vel à Natura, te miniſtrante, ad perfectionem opportere deduci.

Cum ergo dicunt, accipe Argẽtum vivum vulgare, ſcias non eſſe argentum vivum vulgi, ſed ipſorum, quod & ipſe aqueus eſt, & currens, ſed non ſimplex aqua, & aqua limpidiſſima, terreo miſta. Çum dicunt Sulphur, noli intelligere ſulphur vulgi combuſtibile, ſed ipſorum terrã incombuſtibilem, igneã. Cum Aurum, non aurum mortuum, ſed ipſorum viuum, ſpiritoſum, ideſt auri ſemen, non vi, ſed naturaliter extractum. Cum aquas corroſiuas, non cõpoſitas ex Vitriolo, Alumine, Nitro, Cinnabari, & his ſimilibus, ſed eorum Aquam acidam ſolutiuam, naturalem, ſuauiter à terra ſua ſeparatam. Cum dicunt calcinari, non intelligendum, igne vri, & in calcem redigi, ſed per proprium aquoſum ignem, à combuſtibilibus adhærentijs ſegregatum. Cum

ſublimare, non in altum aſcendere; ſed dignificari. Cum deniq; alias manuales operationes, ac vulgaria materialia, tu ab ijs abſtine, & Naturam in ſubſidium aſſume, & ſcias materiam veram ipſorum omnes eas habere virtutes, ac ſimilitudines, quas habēt materialia illa, quæ dicunt accipienda ad opus. Sed ad Authoris oppoſitiones accedamus.

Poſtquam ſatis proceſſus vanos exagitauit, repetit argumentum quod ſupra c. 5. efformarat, ad oſtendendam contradictionem in doctrina Turbæ, in quo adeò ſibi complacet, vt illud ipsū repetens, eaſdem reſponſiones, ac inſtantias reaſſumens, iterum nouos agit de Alchymia triumphos. Ita ergo aſſumit.

Aurum non eſt aurum, Mercurius, non eſt mercurius, quia in aliam formā abiere. Tunc ſic arguit. Si forma melior eſt, vel eſt eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei; vel differt ſpecie, vel ſolo accidente. Si ſolo accidente (hoc tamen diuiſionis membrum omiſit) remanet

eſ-

essentià idem in specie. Si diuersæ speciei, ergo non est eiusdem speciei aurum minerale, cum auro factitio, cum species sint sicut numeri. Hoc dicto, neque expectato responso, asserit ipse, plerosque docere esse aurum factitium à minerali specie diuersum; quod tamē assertum est falsum, cum Philosophorum nemo dicat specie differre, etsi dicant esse perfectius, quia purius naturali; docent etenim species transmutari non posse, sed earundem indiuidua, quare aurum, quod assumunt specie, idem est cum minerali, sed diuersū quoad modum essendi, scilicet quoad accidentia, crassitie, corporeitate, malleabilitate, quare, & vivum, & multiplicatiuum dicitur; eodem prorsùs modo, quo de tritico iam putrefacto dictum fuit, esse specie idem triticum, sed vt semen est non esse triticum, siquidem diuersum est à seipso, cum in semen resoluitur, aliud enim est esse actu, aliud potentià, & tamen quod ita est, speciem non mutat. Aliud namque est loqui, de specie Metaphysica,

Meth. 7.

aliud de Physica.

Hoc tamen dicit ille responderi ab ijs, qui aliquid altiùs sapiunt; sed respondetur ab ipso Opponente, vt facilius instet.

Vrget itaque (& hic maxima vis argumenti obseruetur). Quæro vnde proueniat illi auro tanta excellentia? Respondet, ex depuratione. (mala responsio, & ideò Vrgentis, non Philosophorum) & semine viuificatiuo auri naturalis.

Respondetur, & melius, prouenire ex resolutione, quia, e corporeo, & cõpacto, incorporeũ, & incompactum efficitur, spiritosum, & generationi idoneum; quomodo, granum tritici, cum putrescit perfectius est seipso, ante putrefactionem, quia proximè aptum ad operandum, & quod proximum est, & in potentia proxima, perfectius est quã id, quod erat in potentia remota.

Aduertit idem Opponens responsionem, & nullitatem argumenti, quare aliam interrogationem instituit, quomodo semen illud extrahi potuerit,

non remanente ſubiecto? cæterum, quia & hæc interrogatio fruſtranea erat, cum nemo adeò ſtultam propoſitionem protulerit, poſſe nimirum aliquam virtutem ſine ſubiecto ſubſiſtere, protinus quaſi ſeipſum corrigens, reſpondet, ſubiectum eſſe ipſum Mercurium, ex auro abſtractum, idemque eſſe ſemen. Sed prout non benè percipit, ita neque bene reſpondet ipſe ſibi. Namque non extrahitur Mercurius ex auro, quaſi aurũ ſit corpus aliquod, ex quo ſeparari poſſit aliqua entitas, quæ ſit mercurius, corpore aureo remanente; ſed totum aurum reſoluitur in aqua Mercuriali Philoſophica, quomodo ſemen tritici in aqua pluviali, ſale Naturæ immiſta, & in eo corpore ſoluto eſt vis illa ſulphurea, viuifica, quà ipſa aqua auri, in corpus concreuerat; & ea eſt ſemen, quod communicatur toti mixto, ex vtraque aqua; & tũc ſolutum eſt aurum, tanquam aqua mixta aquæ, quo adimpletur id, quod dicit Morienes (ſiue verus, ſiue fictitius, verè tamen) *ſine ſtultos errare, & tan-*

quam puluerem vento agitari, quia nunquam ad optatum peruenient, donec Sol, & Luna in vnum corpus redigantur, quod nutu Dei tantummodo fieri potest. Ecce semen non esse sine subiecto, sed in proprio subiecto remanere, quemadmodum virtus seminalis tritici remanet in ipsius grani iam soluti substantia.

Quoniam verò id non perceperat, sed aurum in mercurium currentem; vulgari similem arbitrabatur redactũ, aliam non magis vtilem interrogationem instituit: quia, *vel ille Mercurius est mineralis, vel non: si priùs, iam videndum est, quomodo is per tot ignium, rosionisque, aquarum tormenta, caloris impatiens, non euolauerit? si posteriùs, iam erit Mercurius, & non Mercurius, & consequenter, ex non Mercurio, sine matrice aurum producetur, multo nobilius naturali. Sed hæc, vti contradictoria sunt, ita refutari non merentur. Sunt itaque hæc omnia puræ putæ Chimeræ, & stolida delusæ imaginationis, ac delira Phantasmata.*

Itane? Si eidem liceat impugnare, ac

ac reſpondere, profectò ea euenient, quæ hic conſectanea infert; ſcilicet, impoſſibile eſſe, ex non vero, verum aurum efficere, vel ſaltem aurum à naturali diuerſum, eſſentia, proprietate, viribus; toto cœlo, quo in Philoſophia nihil abſurdius, aut ſtultius dici poteſt. Ego tamen non video, quid minùs inſipienter, immò quid ſapientiùs, aut verius dici poſſit. Si igitur Author non videt porrigam ego, perſpicillia mea, aut microſcopium, quo interiora naturæ penitiùs rimando, oppoſitionum ſtultitiam, ac ineptiam diſcernat, & veritatem rei accuratiùs intueatur.

Dictum fuit ſupra, neque ignibus, neque corroſiuis aquis, neque tormentis vllis aurum tractandum, vt in Mercurium faceſſat: quare hoc membrum oppoſitionis, vti fruſtraneum eſt, ita reſponſo non indiget, aut impugnatione, tantummodo etenim dixiſſe ſufficit, Opponentem rem non intellexiſſe: namque mineralis eſt ſanè ille Mercurius, ſed ex fixo, factus volatilis, ita tamen, vt iterum fixari poſſit. Retinet

vim aurificam mineralem, eiusdem speciei cum minerali, quemadmodum granum tritici, etsi triticum amplius non sit post putrefactionem, actu, cum semen emisit, attamen non est à vegetabili, imo à triticea specie alienum, quare neque differt à tritico, quod producit, nisi quomodo differunt ea, quæ sunt potentià, à seipsis cum sunt actu, neq; ex non auro simpliciter, fit simpliciter aurum, sed ex non auro actu, nempe ex auro potentià fit aurum actu; seu, ex non auro secundum quid fit aurum simpliciter. Eodem enim planè argumento Philosophus impugnat Parmenidem, non posse quidem, ex non ente simpliciter fieri simpliciter ens, ita tamen ex non ente secundum quid. Ita ex non auro simpliciter nequit aurum simpliciter fieri, sed ex non auro secũdum quid, hoc est mortificato, modificato, seu potentiali auro, fit actuale aurum. Ita ex immusico fit musicum, in quo hoc interest discriminis, quod ibi supponitur aut materia, aut homo subiectum mutationis, hic supponitur

Phys. 1.

se-

semen, vt agens, materia metallica, vt passum. Ecquid hęc mea conspicillia inseruiunt, vt veritas clariùs appareat? Nō igitur auratos, siue auritos Asinos dicere conuenit, quorum non capimus dogmata, sed de nobis ipsis decet humiliùs sentire, de alijs altiùs quid suspicere, neque casu loqutos esse, quorum profundam doctrinam non assequimur Inutile est sanè iterum tot sublimationum, destillationum, coctionum, separationum praxes repetere, sophistica enim omnia ea sunt, neque Philosophica; sublimare quippe, vt & Arnaldus, & Rosinus docent, non est in altum ascendere, sed è re vili altam, & sublimem facere, quemadmodum dicimus, aliquem sublimatum ad dignitatem; ita cæteræ operationes omnes non sunt nisi insinuationes, quibus modis res purificātur; vt Aquæ per destillationem; Salia, per solutionem, Spiritus, per ascensionem: & sic de cæteris; per modos sibi proprios: quod si Philosophi eos adhibere ad propriæ materiei purificationem videantur, id

allegoricè dictum nouerimus, non quod reuerà eæ operationes sint necessariæ: docent sanè Raymundus, & Albertus, omnes hasce operationes vnà coctione perfici: quare, Authores meliùs intelligendi, & attentiùs, & vbique obseruandi.

De semine, eiusque multiplicatiua virtute, supra quidem satis dictum videri poterat; at quoniam hoc loco reseruauit sibi, quo Chymicos, eorumq; multiplicationem, maximè in virtute irrideret, atque exploderet, quid dicat audiamus; eiusque ponderatis rationibus, naturalibus exemplis, ijsque quotidianis occurramus.

Instant, inquit, *sæpè maleficiati illi Pyrotecbni, non aurum duntaxat verum, lapidis admirandi beneficio confici posse, sed & tincturam, siue albam, siue rubram, illius ope, tantæ efficaciæ, tantæque fœcunditatis esse, vt fermentatus lapis possit centum partes mutare imperfectorum metallorum, in metallum perfectum. Quem si secundò imbibas, idest, soluas, & coagules, adeò fœcundus redditur, vt vna pars, centies plus possit,*

id-

ideſt mille partes (error eſt in calculo, decies dici opportuit.) *Si tertio, decies mille, ſi quatuor centies, mille tingat hoc pacto, per millecuplam proportionem tingere dicunt lapidem, in infinitum, & vltra. Adeò vt quidam, ſtultà iactantià dicere non ſit veritus, lapidem, Oceanum ſi Mercurius foret, eum in aurum tincturum. Atque adeò tumidos fluctus maris imbuit Auro*. Hinc in ſcommata, maledicta, imprecationes effuſus, nulli iniurioſo verbo, nulli probro parcit, quo nō Alchymiſtas omnes indiſtinctè laceſſat: habito nullo diſcrimine ſiue Philoſophos, ſiue ſceleſtos Pſeudochymiſtas exagitet. Tabellam demum ſubdit, qua oſtendit, per duodenariam reuolutionem, ſeu repetitam Lapidis ſolutionem, & coagulationem, centum miriades millionum tingi, eorum tinctura. *Quo nil abſurdiùs*.

Tincturæ vires, ſeminis viribus ſuperiùs comparauimus; oſtendimuſq; quotidianam eſſe hanc ſeminalis virtutis multiplicationem; eam tamen viluiſſe, quia quotidiana: at quoniam multiplicatio non omnium ſeminum fit, etenim

& in viuentium alimentum concedunt, & tantis ſeminibus Tellus deficeret, propterea non exactè animaduertitur. Aliud addam exemplum quotidianũ, virtutem nimirum fermenti, (etenim huic Lapidem aſſimilare ſolent, imò fermenti nomine vſurpare). Vnus profecto fermenti pugillus, integrum farinæ modium fermentat; hic, centenos; hi millenos, & ita in infinitum proceditur, modò ſubminiſtretur farina; quo tabella appoſita facilè æquabitur, & apparebit in vſuali farina eadem admiranda illa virtus fermentandi, adeò vt ſi totus Oceanus farina foret, totus in fermentũ verti poſſit. Adde vim ignis, cuius vnica fauilla, in materiam aduſtibilem diffuſa, Orbem vniuerſum incendio ſit peremptura. Quiſque tamen in his mirabitur, qui horum ſimilitudinem non perpendit.

Sed Phyſicum exemplum proponamus, quo idem manifeſtetur apertiùs. Notum eſt omnibus Peripateticę Scholæ Philoſophis, continuum eſſe in infinitum diuiſibile. Siquis igitur tantum

corij

corij assumeret, quantum caperet Venetus aureus nummus, profectò si Deus illum in partes diuidat, aut Angelus, tantum inde conficiemus, vt non Carthaginem modò simus mœnibus cincturi, sed consuturi crumenam, qua totum Orbem inuoluamus. Atqui hoc in Physicis adeò certum est, vt qui negare ausit, errans in Philosophia habeatur. Adde tormentarij pulueris granum, quod flammam edit centies millies se maiorem, si diametrorum proportionem consideremus, in triplam proportionem excrescentem. Hæc non miramur, & tincturæ vires mirabimur?

Sed quò faciliùs Natura intelligatur, scire conuenit, incessanter e cœlo siue syderibus lumine deferente, substantiam illam vniuersalem defluere, sine qua interiret Natura, hæc etenim vniuersalis substantia, se habet vt alimentum omnium rerum, & vt materia, è qua omnia sumunt incrementum. Inseruit autem cuique rei indifferenter; & cum ad aliquod particulare contrahitur, eius extemplo speciem suscipit,

quo fit, vt species illa multiplicetur, huius accessione substantiæ. Itaque seminalis vis se habet vt specificans, substantia verò præfata, vt specificabile: Quare,cum semen quodpiam putrescit, substantia illa est presto (etenim defluit affatim indesinenter) eamque vis seminis, in suam naturam conuertit,quare in infinitum eam conuertere potest, pro seminis vi, & efficacia, ideoq; alia magis, alia minùs, in propria specie multiplicant.

Videmus autem semina, quo minora sunt, eo magis multiplicari, quia quæuis parua eius substantiæ portio sufficit vni semini: Idipsum proportione seruatà, accidit in ouiparis; minores namque pisces abundantiùs ouificant, quàm Cætę; Formicæ,quàm aues; Similiter in viuiparis, fęcundiores sunt Cuniculi Canibus,Canes Equis; Equi quā Elephantes; certum etenim est, quantò plus materiei ad aliquod opus requiritur, eo tardius illud exurgere, eoque minus de eo confici, quàm vbi exigua materiæ particula sufficit. Ita exigua

guâ caſa citiùs abſoluitur ac minori ſumptu, quàm ingens ædificij moles, aut Amphitheatrum cui Coloſſei nomen. Reflectat Author ad ea, quæ Libro 12 docet, & propriâ ſe doctrinâ conuinci, cognoſcet; ſi modò propria, & non potiùs è Chymicis Authoribus, quos execratur, deſumpta.

Ita ſe habet res in metallis, quæ valdè compacta cum ſint, longo egent tempore, & magnâ materiei copiâ, vt producantur. Quocirca ſi noua forent producenda metalla, ex ipſo vniuerſali alimento, pluribus forſan egerent annis, vt augerentur. Verùm cum iam ſupponamus materiam immediatam metallicam, & aquam iam in ſpecie metallica coagulatam, cui non niſi fixio, & tinctura deſunt; idcircò facile eſt ea in aurum, vel argentum conuerti: dato enim aliquo, quod ſeparet ab ea materia, combuſtibile ſulphur, & quod tincturam tribuat, facilis eſt omninò conuerſio; tunc enim metallum fixum eſt, cum flamma inter partem, & partē ingredi nequit, eoquod ſit ipsâ flammâ

ſubtiliùs, ideòque ingreſſus ei inhibe-tur cum craſſius extraneum ſulphur ab-ſumitur, aut ſegregatur, itaut puræ par-tes mercuriales omninò coeãt. Tinctu-ra additur, cum ipſum aurum, adeò in tinctura exaltatur, vt valeat ad certum limitatum colorem, metallum adduce-re. Hoc norunt pictores, quotidie, qui cinnabarim, aut minium, candido ad-miſcentes, modò magis, modò minùs aureum rebus inducunt colorem.

Exemplo Chymico rem demonſtro, in auro Sophiſtico; accipe Zincti, ſeu ZinK, ſiue Piauter, partes tres, Aeris, ſeu cupri virginei, quod de roſetta di-citur partes quinque, fundãtur inſimul; prodibit metallum aurei coloris, quia ZinKum nimium candidũ, cuprũ, excel-lenter rubeſcit, ideòq; ex vtriuſq; tem-perie, color aureus exurgit. Idipſum, cum Lapis calaminaris additur cupro, ex quibus conficitur Auricalcum, quod aliunde non euenit, niſi quia exuberãs cuprea rubedo, addito albo contem-peratur.

Tinctura igitur Phyſica, quæ ad in-

ſtar

ſtar aduſti ſanguinis rubet, vtique poteſt metalli albi copiam tingere, ita vt aureum colorem impertiatur eidem: & quoniam quò magis ſubtiliatur, eò magis diffunditur, magiſque in tinctura augetur rubedinis, eò magis ac plura tingat neceſſe eſt. Eritne in hoc aliqua vel apparens contradictio, aut impoſſibilitas, vt dignum ſit quemquam, in tam acres, & iniurioſas vociferationes effundi? ſed ad Antagoniſtæ rationes examinandas, progrediamur.

Argumentis igitur agit, quibus ſe falſitatis opinatur conuincere huius augmentabiles vires. Ac primò. *Quia vel hoc ſemen pollet vi vegetatiua, vel non: ſi prius, iam omnibus inanimatis vis inerit vegetatiua; ideòque vitam formalem omnia mineralia aſſequentur. Si verò non vegetabile dixeris, quomodo ergo vitali motu priuatum, ſeſe in tantam fœcunditatem propagare poterit?* & paulò inferiùs. *Quidnam verò illud ſit, quod Lapidi tantam tingendi virtutem dederit, ſcire cuperem.* Eius curioſitati faciamus ſatis, non tamen vt ipſe, depurationi attribuamus, vt per-

peram censet adhoc, vt ineptum de vini spiritu exemplum adducat, qui depuratus nunquam aquæ dolium, in vinum conuertet, impropriâ prorsùs paritate, & exemplo in omnibus inutili, namque aquæ nihil est cum vino commune, præter fluorem, at metallis tota est eadem substantia, cui nihil nisi puritatis, & tincturæ accessio desiderantur.

Sciat ergo hanc vim oriri, ex lapidis subtilitate, & tincturà, quam Raimundus exuberationem tincturæ appellat, quæ ita fit. Sulphur aureum, vtique ad tincturæ vires peruènit, per mercurij sui intimi decoctionem: quare decoctio eius materiei rubedinem producit, vt aliàs in vegetabilibus ostendimus. Cum verò ita ad eum gradum peruenit, nequit vlterius rubescere, nisi iterum soluatur; quà solutione duo efficiuntur, vt & subtilietur magis, & magis rubescat. Cum ergo subtilius est, magis etiã potest diffundi, vapor enim, magis diffunditur quàm aqua; cum magis rubet magis tingit. Non igitur depuratio,

sed

ſed ſubtiliatio eſt, quæ ipſi tincturæ & ampliorem diffuſionem, & vim tingendi conciliat. Cogita lucem, ſiquis in corpus denſum poſſet redigere, vtiq; exile tantummodò ſpacium peruaderet; quò tamen magis attenuaretur, eò ampliora ſpacia occupatura fuiſſet. Appono aliud notius exemplum in auro corporeo, quod in folia diſtenditur contuſum melleo; quod, quanto ſubtilius tunditur, tanto plura deaurandi potentiam habet. Quod ſi per ſalem Ammoniacum,& aquam Fortem diſſolueris, deinde exſiccatum, Tartaro addito,ac Nitro, in paſtam reddideris, fricando hàc mixturà ferrum, longè plura deaurabis, quia longè ſubtilius. Hoc tamen eſt diſcriminis inter corporeum, ac ſpiritualizatum aurum, quod illud, extenſiuè duntaxat, hoc & intenſiuè diffundat nitoris radios, cum & ipſum auctiore colore tingatur. Quoniam verò, hæc ſubtiliatio, iteratis ſolutionibus in tantum excreſceret, vt lucis inſtar omnia foret penetratura, quod & ipſum docet Hermes in tabula

Smaragdina, quare nullo vaſe occludi, aut contineri poſſet, ideò ab ipſo Opponente citatus Iſaacius Hollandus, immò, & Ioannes Dee Londinenſis, in Monade Hieroglyphica (quod & ſibi ac ſotijs eueniſſe dicit) non vltra quartam reuolutionem iterari opportere admonent: quapropter duodena illa reuolutio, ac calculatio, eſt Metaphyſica, neque à Phyſico poteſt in actum perduci. Quod vero Augurellus ſupra decantauit, & ex Poetica venuſtate cecinit, & quantum eſt in rei natura, ſi poſſet ab homine contineri, non verò quod à Phyſico operãte valeat in actũ deduci; quemadmodũ dictum de ſacco, ex modiciſſimo corio conficiendo, quo orbis Vniuerſus contegatur.

Eſſe verò virtutem aliquam adeò multiplicabilem, modò ſubiecti capacitas id ferat, manifeſto exemplo demonſtrabimus. Straminea feſtuca, cum flammam concipit, vtique calida eſt vt octo; quemadmodum à Phyſicis dicitur, & tamen lignum nunquam comburet; immò vix manum calefacit, quod

magis in vini ſpiritu accenſo aduerti-tur. Prouenit porrò hoc, ex tenuitate ſubiecti; quod ſi ſubiectum denſius dederis, puta lignum, hoc nondum inflammatum, hoc eſt, non adhuc calidũ vt octo, magis tamen longè calefaciet: & quod lignum inflammatum difficulter adurit, hoc comburet ferrum mediocriter candens. Ecce quomodò virtus actiua augetur, iuxtà capacitatem ſubiecti, cui ineſt. Poterit tamen ferrum ita candeſcere, vt certam portionem ligni, nec ampliùs comburat: poterit & idem adeò augeri calore, vt triplo ampliorem, immò & quadruplo, & ſextuplo copioſiorem materiam inflãmet: cæterum, nunquam in tantum incaleſcet, vt centies millecuplam materiam adurat; calorem etenim vſque ad certam proportionem citra liquationem ſuſtinebit: immò & liquatum, attamen calore, ſeu igne exſuperante eius vires, ipſum abſumitur, & in ſcoriã, ac cineres (quodammodò) vertitur.

Hæc autem ferro accidunt, quia corruptibile, & Sulphure combuſtibili

mixtum; estque corporeum, ac crassum, neque vltra corporeas vires, ignis actiuitatem substinere valet. Cæterum aurum, quantumuis igniatur, nunquā tamen destruetur, vel comburetur, quia quantumcunque ignis ei accedat, nullo tamen pacto destruetur, quoniam eius materia longè purior est, ideòque subtilior, quā sit in ferro. Ergo in eo ignis ligari poterit, & in eo quodammodò corporascere absque vllo termino; quo casu ipsum aurum, adeò tenue, ac subtile efficitur, vt ad instar ignis simplicissimi, ac purissimi, ipsa vasa penetret, neque se ijsdem contineri patiatur.

Cum igitur hoc in auro corporeo effici videamus (immò in plumbo, soluto) quidni in auro spiritualizato, idipsum euenturum affirmabimus, si adeò attenuetur, & subtilietur, vt igneum prorsùs euadat? An ignorat, dici à Chymicis tandem in meram formam aurum abire? quod nolim intelligat, formam Physicam, aut potiùs Metaphysicam, sed adeò attenuari, vt omnis corporea crassities omninò tollatur.

Hoc autem efficiunt iteratæ ſolutiones, & coagulationes; quare vltra quartam nemo vnquam auſus eſt illud attenuare, præter Ioannem Deę, de quo ſuprà, qui hanc eſſe dicit Magorũ inuiſibilitatem, *ſine crimine tamen*; hoc eſt, aurum ſeu lapidem euaneſcere inuiſibiliter. Quis igitur ad duodenam illum multiplicabit?

Cum nullum aliud habeat efficacius argumentum, Oppoſitor, perſiſtit toto reliquo capitis, in inepta purgatione, per locales ſublimationes, Auri ac Mercurij, vt oſtendat ſeriò ſe non intelligere, ſublimationem Philoſophorum, non eſſe aſcenſionem, ſed ſolam depurationem, quod hactenùs millies repetitum, eius vltra meminiſſe non conuenit.

Quæ poſt hæc de Paracelſo profert, non ſunt ad rem: agit etenim de Elementorum ſeparatione locali, quæ licet initio in duo elementa fieri contingat, attamen in omnia non fit realiter, & ab operante, quod omnes Philoſophi docent; quare, neque Lullius eam

ſe-

fecit; licet enim in practica eam exercere videatur, ostendit tamen in Theorica testamenti veteris, hæc omnia fieri à Natura, priori rei præparatione exceptà, quà dicuntur Lapidis elementa generari, ac produci: cum scilicet Philosophorum aqua in aquam & terram, siue in superiorem, & inferiorem partē diuiditur; neque tamen elementa produci opinandum per generationem, sed per separationem e Chaotica siue Hyleali eorum aqua.

Ex ijs quæ Paracelsus contra Lulliū protulit, infert nulli credendum, eoquod sibi inuicem contradicant primarij huius artis Coriphæi. Iam ante respondi, Philosophos sibi videri inuicē contradicere in modo loquendi, reuerà tamen conuenire: quod si alius aliū redarguat apertis verbis, non propterea licere inferre artem esse falsam, sed modum docendi vnius, alteri non satisfacere, aut arridere fortasse; siquidem vnus non assequitur alterius intentionem, neque vnius parabolas alter probat, cum huius proprium sit, obscu-

ris, aut allegoricis terminis rem inuoluere; operationes confundere, quominùs aut ad indignos, aut ſolum anhelantes aurum, artis notitia perueniat, cuius veritatem, non duorum aut trium contradictio infirmat, ſed centenorum vniformis conſenſus conſolidat: neque quid Paracelſus contra Raymũdum dixerit, pro Lydio lapide aſſumẽdum, ſed quod omnes vno ore, de artis veritate, de lapidis poſſibilitate, & viribus, & quomodo ipſi Philoſophi, vetuſtiores ſuſpiciant, ac venerentur attendendum. Hermes, Antiquorum Sapientum meminit cum dixit, *audite ergo Filij Sapientum, quod Priſcorum Philoſophorum aqua, eſt diuiſio*. Et alibi. *Quod Philoſophi de ſuo Arcano celauerunt, ſeptem litteris ſcribitur*. Morienus, & ipſe Veteres citat, eoſque ſequitur; idipſum faciunt plerique, e numero tamen ſexcentorum, quattuor, aut quinque ſelegit Author, vt notare poſſet, quò oppoſitionibus fidem aſſereret, non quò veritatem indagaret.

Quod ſi ex oppoſitionum norma, ve-

ritas elicienda ſit, nulla erit in Philoſophia veritas. Etenim Platoni Ariſtoteles opponit: Ariſtoteli Patricius, & alij. Contra D. Thomam, ſentit Scotus; Contra Suarez, Vaſquez; ergo non eſt vera Philoſophia, non Theologia, quia primarij harum ſciẽtiarum Anteſignani, ac Coriphæi, inuicem contradicũt?

Rationibus poſthàc agitur; namque ſoli Deo nota eſt proportio, ad quam lapidem opporteàt fabricari. Fateor ſanè; ſoli Deo pariter nota eſt proportio elementorum, quæ in tritici granũ concurrit; immò omnium ſeminum, ſed an propterea, non triticum ſeritur, & indè enaſcitur triticum? ſoli Deo nota ſunt, quæ ad formandum pullum concurrunt in ouo; an non propterea ex ouis, caloris beneficio pulli excludun-tur? certum eſt, non eſſe Alchymiſtarum, proportiones componere, aut ſemina facere, ſed ſemina à Natura, Deo ordinante facta componere, quæ ſagaci Naturæ induſtriâ ſibimet quælibet, ſuam proportionem aſſumunt. Nota nobis nõ eſt proportio humiditatis ad

alen-

alendum ignem necessaria; si tamen madidiora ligna, igni apposueris, ipse sibi, ante formæ introductionem, superfluam humiditatem dissipabit, donec sufficientem adeptus fuerit temperaturam, quæ formam ignis suscipiat. Ex quo patet, vana esse ea omnia, quæ vsque ad calcem capitis de hac proportione perperàm introducuntur.

CAP. IIX.

In quo varia Chymicorum tentamina ab Oppositore asserta examinantur, & discutiuntur.

PAracelsus hoc capite introducitur Monarchiam inter Chymicos affectans; eiusque pollicitationes de Lapidis conficiendi ratione, breuiori tẽporis decursu, irridens, vanam Astrologiæ opem, ad lapidem conficiendum ab eo requisitam eliminat.

Nihil ego ad hæc opponam: etenim opus simpliciter naturale, omni loco, quocunque sydere, potest in actum deduci;

daci; nisi fortè ex ijs sit, quæ anni tempestatem opportunam aspiciunt. Ita uvæ non nisi Autumno maturescunt, Aestate segetes, Vere leguntur flores, Hyeme radices.

Execratur dein Artem, mille fallacijs obnoxiam, Dæmonum illusionibus facilem, quam solis pijs hominibus reuelandam censet, vbi vera fuisset, quippè certo certiùs, eà non fuissent abusari: ideòque (censeo) sibi Viro Religioso, omnium alioquin occultorum indagatori solertissimo. Cum igitur viris Sanctis, eam non reuelarit, omninò dicendum est, eam esse impossibilem; neque enim nebulonibus, lurconibus, ac nequissimis hominibus eam decuit pandi; multòque minus Paracelso, hominum nequissimo, Diabolicæ arti addictissimo, vt Capite sequenti, in eius vitæ ac morum processu instituendo patebit.

Nouit Oppositor, varia esse donorum genera, quæ pijssimus Deus sibi dilectis Viris impertitur; plures fortasse fuere, qui hoc Diuino dono digni à Deo habiti,

biti, illud obtinuere. Hermes à Deo se accepisse fatetur in capitulis. Moysen, & Patriarcas, idē calluisse volunt; D. Thomam, Magnum Albertum, & alios pijssimos viros. Cur ergo non omnibus? quia expedire eorum saluti nō censuit. Enoch, raptus est ne malitia eius sensum auerteret; forte pij viri, qui hanc callerent, in reprobum ruerent; sed si quibus Deus reuelauit, ij non scripsere Authori, se eà potitos, sed silentio texère, aut exercere noluerunt, aut si exercuerint, clanculum id fecere, & tantummodò in proximi commodum, in pietatis officijs; noluit tamen eum omnibus largiri, siquidem non omnia charismata, omnibus communicantur.

Attamen, si iccircò scientiæ illæ vitandæ sunt, quæ sunt erroribus aut illusionibus Diabolicis obnoxiæ; maximè ergo Theologia, propter cuius studium tot hæreses emanarunt. Solitaria vita ac Monastica, in qua tot pij viri, Dęmonum illusionibus patuère. Ignorantia est deuitanda, non scientia; ficta, non vera pietas, neque omnibus data

est discretio spirituum, sed probandi an à Deo sint. Nó ergo bona ratio. Aduerterat Author fore, vt iniqua cēsura confutaretur, quare præmomet; nó dubitare Alchymistas æstro percitos, in eius dicta insurrecturos; sed veritatem loqui, idcircò, nec *titiuillicio empsitem,* inquit, *quascumque eis furor suggesserit calumnias.* Idem quod ipse, sentire Arnaldum, Lullium, Paracēlsum, Chymicorum Coripheos, & Antesignanos.

Putarat Chymiastrum aliquem forsam, ex eorū numero quos omnis Philosophiæ ignaros decantat, inanibus conuitijs in se acturum, quemadmodū ipse in Philosophos; sed est qui Sapientum partes suscipiat, veritatis amans, non contentionis, neque iniuriarum amore, sed veri cupidine, & Sapientum obsequio, quare non ita contemnet opinor, neque flocci habebit nostram lancem, quà eius oppositionum prætium pensitamus.

Agedum. Nil hactenùs nisi verba, sunt in Chymicos prolata, eaque iniurijs prægnantia, vbi nondum eorum irriti

riti labores, neque inania sunt ostentata conamina, quod in capitis frōte proposuerat. Difficultatem Artis iactat: Eam fatemur: Obscuritatem; Non imus inficias: Verba inusitata (vulgo scilicet) damus: Sed quid inde? cuius quæso hactenus inanem conatum ostendit? an Lullius negat se lapidem confecisse? an eius de lapidis veritate, dogmata confutasti? an falsi, conuicisti? Longū profectò hic discursum Villanouani apud Paracelsum exscribit, quo vanitatem plurium inaniter laborantium recenset; quem veluti inanem omisissem, nisi ansam hinc assumeret Opponens, vanam suam opinionem confirmandi. Est igitur huiuscemodi. *lib. de Transmut. Metal.*

Discursus Arnoldi Villanouani, apud Paracelsum, Libro de Transmutatione Metallorum.

M*Aximam huius Artis difficultatem, obseruans Arnoldus, ait in suo Rosario. Varia huic materiæ Lapidis nomina præfinierunt; occultissima quadam à similitu-*

dinibus potissimum allata; vegetabilem appellarunt, mineralem, & animalem, non(a) *iuxta litteralem sensum, vt facilè norunt sapientes Diuinorum arcanorum & miraculorum* (b) *eius lapidis experti fingere. Huius exemplum præsefert Raymundi Lullij Lunaria,* (c) *quæ flores, mirandarum virtutū edit, Philosophis* (d)*tamen familiarissimos. Non fuit imponentis nomina hac* (e) *opinio, vt per illud intelligeretur aliqua super metalla proiectio, vel præparatio similis ex eis fieri; verùm abstrusa mens Philosophorum, longè aliò spectat. Simili nomine materiam appellarunt Martagon, cui* (f)*etiam hinc occultam operationem Chymicam applicauerunt; cum tamen id prorsùs nihil denotet, præter quandam arcanam similitudinem. Error etiam non minimus, in vegetabilium liquoribus ortus est, quibus Mercurium coagulare plurimi conati sunt, & postmodum fixatorijs aquis, in Lunam conuertere existimantes, eum* (g) *qui hac via metallorum auxilio coagulare poßet, maximum assequi magisterium. At quamuis* (h) *aliquorum vegetabilium liquores, id efficiant, non aliunde fieri quam ob resinam, pinguedinem, aut sul-*

phur

phur terrenum, quo plurimum abundant iudicabitur: Hoc Mercurij humiditatem attrahit, eiusque substantiæ permiscetur, coagulando præter omnem vtilitatem. Nam crassum, & externum sulphur, nullum in vegetabilibus, ad perfectam proiectionem in Alchymia aptum esse compertum est; quodque non sine maximo dispendio, experti sunt multi: etsi nonnulli succo Tythimali albo, lacteoque propter calorem intensum, & acutum in eo existentem, coagulasse Mercurium existimarent; cum solo frigore, in occulto potiùs, contrario manifesto, id factum esset: vnde lac Virginis appellarunt; falsum tamen fundamentum hoc fuit. Non secus de succo Chelidoniæ existimandum, licet colore (i) suo oculis imponat hominum, ac si dotatus esset auro. Colligentes inde vanum quid, certo, ac determinato tempore vegetabile hoc eradicarunt, ex quo animam, vel quintum esse venati sunt, vnde coagulantem, ac permutantem tincturam efficerent: verùm, & hinc nil præter fatuum errorem, ortum est. Alij hunc ad spissitudinem, quam consistentiam vocant, excoxerunt, ac Soli, vt in duram massam coagularetur exposuerunt; quo

postmodum in minutissimum puluerem tuso, Mercurium vt opinabantur , proiectione verterent in Solem. Quod falsum esse compererunt. Aliqui admiscuerunt huic pulueri, salem Ammoniacum, alij colcotar vitrioli, (k) opinati se hàc viâ tandem ad optatum finem peruenire posse. Postmodum solutionibus, in flauam aquam adduxerunt, vt sal hoc, tincturæ praberet ingressum, in Mercurij substantiam ; nihil tamen inde factum fuit. Nonnulli, (l) prædictorum loco, succos persicariæ, bufonariæ, dracunculi, foliorum salicum, tithymali, catapuciæ, flammulæ, ac similium, simul vnà cum ipso Mercurio, per dies aliquot vitreo vase conclusos, in cineribus tenuerunt; accidit, vt inde Mercurius in cinerem, vel puluerem potiùs verteretur, sed perperàm, & nullo fructu. Decipiebantur enim isti, vanis (m) vulgi rumoribus, quibus proseminatum erat, Mercurium absque metallis esse coagulandum, vt ante meminimus. Multi ex vegetabilibus, salia, olea, sulphura &c. extraxerunt, sed frustrà cum (n) per hæc, nulla vera Mercurij coagulatio, neque perfecta tinctura, vel proiectio fieri queat similitudine solà Philosophi.

Non-

Nonnulli materiam suam arbori cuidam aureæ,(o) ramorum septem comparant, intelligentes eam, in suo spermate, metalla septẽ concludere, ac in ipso latère: quapropter, vegetabilem eße dixerunt; tum etiam, quia non aliter, quàm naturales arbores (p) suo tempore, varios flores proferunt, ita materia lapidis, colores pulcherrimos palàm facit, in florum suorum productione.

Item, quia ex terra Philosophica, materia quædam exurgit, seu virgultum, spongiam terræ similitudine dixerũt, arboris suæ fructum, ad cœlum tendere. Ideò protulerunt, in vegetabilibus Naturæ rei totius, cardinem verti, & non in vegetabilibus materiæ: tum etiam, quia suus lapis, animam, corpus, & spiritum in se continet, vt vegetabilia. Non diuersa multum similitudine, materiam hãc lac Virginis esse dixerunt, & rosei coloris, benedictum sanguinem, qui tamen solis Prophetis, & Dei filijs conuenit. Inde Sophistæ (q) collegerunt, materiam Philosophicam, in animalium, vel hominum sanguine consistere: occasione sumptà, quod ex vegetabilibus nutriantur. Alij quidem in capillis, in sale, vrina, in renibus: alij in ouis gallinarũ,

in calce, in lacte & similibus quæsiuerunt, quibus omnibus, Mercurium figere posse putarunt. Extraxerunt quidam sal, ex fœtido lotio, nec defuerunt, qui lapillos in renibus inuentos, materiam esse crederent. Alij mēbranas ouorum asperrimo lixiuio macerarunt, quibus etiam ouorum cortices addiderunt, his attribuentes arcanum fixationis ad Mercurium perficiendum. Alij ouorum albumen, argento comparantes, & auro vitellum, in suam materiam elegerunt, admixtis sali communi ammoniaco, tartaroque vsto, simul ista vitro concludentes, balneo maris putrefecerunt, idque dum albus color, in rubicundissimum sanguinis instar abiret; hoc ipsum in fœtidissimum distillarunt liquorem, ad opus, quod quærebant, prorsùs inutilem. Alij putrefecerunt albumen, & vitellum ouorū, & inde basiliscus generatus est, quem in rubicundissimum puluerem, exusserunt, eoque tingere putabant. Huius rei fuit Author, Gilbertus Cardinalis in suo Tractatu de Alchymia.

Plerique fel boum, & aliorum animaliū sale communi permisto macerata, destillarūt in liquorem, quo cæmentationum pulueres

imbutos existimarunt metalla sua tingere posse mysterio quodam, quod partem cum parte vocant, & inde nihil actum est. Aliqui Tutiam eligentes additionibus aliquot, vt sanguine Draconis, & alijs eiusmodi friuolis nugis seducti, cuprum, aut electrum in aurum permutare conati sunt. Alij iuxta Venetorum artem, vt aiebant, viginti plus, minusue stelliones ollà concludebant, fameque redigebant ad insaniam, vt vna aliam famelica deuoraret, vnicà superstite, quam cupri vel electri limaturis pascebant, existimantes genus hoc animalium, in ventriculo suo, digestione solà permutationem optatam efficere. Postremò hoc animal exusserunt in rubicundissimum puluerem, quem cum crederent aurum esse, miserè decepti sunt. Nonnulli tandem in piscibus, Trutis nomine, per liquationem concrematis, aurum inuenerunt, non alia de causa, nisi quia genus hoc piscium, in fluminibus squamulas, aureasque scintillas à torrentibus eò delatas, & nonnunquam ex montibus defluentes colligere, ac deuorare, solitum sit à Natura doctum, raro tamen idipsum contingit. Tales (r) *impostores potissimùm inueniuntur in au-*

lis Principum. Non est sanè materia Chymicorum Philosophorum, in animalibus quærenda; hoc omnes admonitos semel velim. Est tamen quod sciatur, Philosophos lapidem suum animalem appellasse, (s) quia in postremis suis operationibus, virtute huius nobilissimi ignei mysterij, liquor obscurus, ac rubeus instar sanguinis ex sua materia, suoque vase guttatim exsudat; inde præsagium protulerunt postremis temporibus, Hominem purissimum in terras venturum, per quem liberatio Mundi fieret; hunc ipsum guttas rosei, rubeive coloris, & sanguinis emissurũ, quo Mundus à labe redimeretur. Pariformiter & sanguis sui Lapidis, in suo genere, leprosa metalla, necnon homines liberabat à suis infirmitatibus contagiosis. Quare non immeritò dixerunt, suum Lapidem animalẽ esse, de quo Mercurius (Morienus est) ad Regem Calid loquitur ad hunc modum: Mysterium, inquit *hoc, solis Dei Prophetis permissum est cognoscere, quo fit vt Lapis animalis vocetur. Nam in sanguine Lapidis huius latet anima sua: componitur etiam ex corpore & spiritu, & anima; simili ratione vocarunt suum Microcosmum, quod rerum omnium*

totius

totius Mundi similitudinem habeat, & inde rursùs animalem esse dicunt, veluti Plato, Magnum mundum animal vocat. Accesserunt ignari credentes, Lapidem esse triplicē. atque triplici genere secretum, vtpotè animali, vegetabili, & minerali, quò factum vt etiam in mineralibus quæsierint. Hæc verò sententia longè distat à Philosophorum (t) opinione: Asserunt enim suum Lapidem vniformiter vegetabilem animalem, & mineralem. Notandum adhæc, Naturam minerale sperma suum in varia genera distribuisse; videlicet, in sulphura, salia, boracia, nitra, ammoniaca, alumina, arsenica, atramenta, vitriola, tutias, hæmatites, auripigmenta, realgaria, magnesias, cinnabarim, antimonium, talcum, cachimias, marcasitas &c. In quibus omnibus Mundum adimpleuit materia nostra. Quamquam in aliquibus dictarum specierum sese miro nonnunquam patefacit aspectu, quod ad imperfectorum metallorum transmutationem attinet. Longa siquidem experientia, ignis per exercitium, multifariam transmutationem ostendunt in materia mineralium, non solum ex coloribus alijs, in alios colores, verum etiam ex vna essentia

in

in aliam, & ex imperfectiore, in perfectiorem. At licet ipsa Natura quandoque, his mineralibus medijs eiusmodi demonstrationes faciat, multis præparationibus interuenientibus, non propterea volunt Philosophi, (u) *suam Lapidis materiam, potissimùm ex vllo mediorum mineralium progredi, tametsi Lapidem suum mineralem vocant. Vnde Sophistæ ab hac appellatione sumentes suasionẽ, ipsum Mercurium varijs torturis persecuti sunt; aliqui sublimationibus, coagulationibus, præcipitationibus Mercurialibus, aquis fortibus, &c. Quæ omnes erroneæ* (x) *viæ vitandæ sunt, cum cæteris Sophistarum præparationibus mineralium, purgationibus, fixationibus spirituum, atque metallorum. Proinde Lapidis plurimæ præparationes quin immò omnes, quæ de* (z) *mineralibus describuntur ad hunc modum, vt Geberi, Alberti cognomento Magni, ac similium, sunt Sophisticæ purgationes tantum, cæmentationes, sublimationes, destillationes, rectificationes, circulationes, putrefactiones, coniunctiones, solutiones, ascensiones, coagulationes, calcinationes, & incerationes, prorsùs inutiles; cum in tripode, furno reuerberatorio, athanore,*

nore, liquefactorio, acedioso, fimo, cinere, arenæ similibusque tum in cucurbita, pelicano, retorta, phiala, fixatoria, & id genus aliis; idipsum, de sublimationibus Mercurij, per minerales spiritus ad album, & rubeũ, & per vitriolum, sal petræ, vel aliud alumẽ, aut per crocum Martis &c, iudicandum est: de quibus falsò fabulatur, Ioannes de Rupicissa, Tractatu suo de Lapide Philosophorum albo, & rubeo, quæ simul ementita cum aliis, somnia sunt omnia, bonos, ac simplices viros miserè seducentia: Fugienda etiam sunt illa particularia sophistica Geberi, vt sunt septenæ sublimationes, aut mortificationes; item reuiuificationes Mercurij, suis cum præparationibus, per sal vrinæ, vel per sepulchrum factis, quæ singula sunt ad Lapidem falsissima. Quidam alij mineralium, ac metallorum sulphuribus Mercurium fixare conati, summè decepti fuerunt. Vidi nihilòminus hac arte Mercurium in corpus metallicum per eiusmodi fixationes adductum, similitudine quidem in omnibus, & per omnia bonũ argentum fingentem, ac representantem, verùm in examine testà, vel cupellà falsum vt extitit, etiam apparuit. Sophistarum alij

ten-

tentarunt ex isto Mercurio septies sublimato, ac toties dissoluto, fixum oleum emungere, medio quidem aquarum fortium, quo metalla quæuis imperfecta, ad perfectionem adducerent: at frustraneum illud opus relinquere coacti sunt. Aliqui, vitriolum septies purgarunt solutione, calcinatione, coagulatione, & duarum partium armoniaci salis additione, sublimationeque, vt in aquam albam solueretur, cui tertiam partẽ addidere Mercurij viui, vt ea coagularetur aqua; totiesque postea Mercurium à dicto vitriolo, & ammoniaco sale sublimarunt, vt in lapidem durũ abierit; hoc affirmarunt ex vitriolo conceptũ, rubeum sulphur esse Philosophorum, cuius quidam solutionibus, & coagulationibus progressi sunt, in proiectione autem factum est nihil. Alij Mercurium coagularunt per aquã aluminis, & in massam duram alumini similem, quam aquis acutissimis fixerunt inutiliter. Sophistæ plurimas rationes fixandi Mercurium sibi præsumunt, frustrà tamen, quod in eo perfecti, constantisque nil habeatur. In vanum igitur addunt ei mineralia per sophisticos processus, quibus omnibus ad maiorem excitatur malitiam, viuus quoque

magis, ac magis efficitur, impurusque potiùs, quàm perfectus. Non est igitur ab eo Philosophorum petenda materia, cum sit imperfectum quid, quod si ad perfectionem etiam adduci queat, sophistarum progressibus valdè difficile fuerit, immò impossibile; cum in eo nihil habeatur, quod in perfectionem excitari, cogique queat. Nonnulli sumpserunt Arsenicum aliquoties sublimatum, ac multoties oleo tartari dissolutum, & coagulatum, idque fixare prætenderunt, quo cuprum in argentum verterent, idipsum, & nil præter sophisticam dealbationem quandam attulit. Etenim hoc minimè figi potest, nisi tingens in eo spiritus probè cognitus fuerit, in quo quidem omnes ferè dormitarunt Philosophi, frustrà conantes ex arsenico boni quidpiam efficere. Quicunque igitur spiritum hunc ignorarint, spem ipsum figendi nullam etiam habeant, aut virtutem ullam ei tribuendi per aliud, quò transmutationis perfectionem acquirat. Quam ob rem notum facio cunctis in eo suam operam impendentibus, dealbationem de qua mentio facta est, ex falso fundamento deprомptam, eaque falso cuprum dealbari solùm, & non aliter immutari. Sophi-

phistæ Venerem etiam ad hunc modum laruatam, atque fucatam, duplo sui admiscuerunt Lunæ, mixturam vendiderunt aurifabris, atque monetarijs. Postremo verò sese in falsos monetarios transmutarunt, nedum ipsi qui vendiderant, verùm etiam qui emerant. Aliqui ex Sophistis, albi loco, rubeum Arseniců sumpserunt, & hoc ipsum vt prius in falsam artem abijt, quoniam quocunque modo præparetur, nihil præter albedinem exhibet. Nonnulli progressi sunt vlteriùs ad sulphur commune, quod flauum vt erat, coxerunt aceto, lixiuio, vel vrinis acerrimis per diem, & noctem, vsque dum album emerserit, postmodum eleuarunt à calce communi, & calce ouorum coxerunt, ac sublimarunt, idque multoties, combustibile semper nihilominùs extitit, licet album: eo tamen, crudů fixare Mercurium in aurů, conati sunt frustrà: cinnabaris tamen inde pulcherrima, & omnium optima quàm viderim vnquàm, resultauit, hanc fixare putantes, oleo sulphuris per cæmentationem, & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit, verùm secùs, atque res ipsa desiderabatur euènit. Alij sulphur commune redegerůt in formam hepatis, olei lini,

la-

laterini, vel oliuarum admiſtione, coquentes in aceto, poſtmodum ſuper lapidem marmoreum effundentes. Hoc ipſum deſtillarunt in oleum citrinum, igne lento primùm, ſed ſuo damno ſunt experti, eius ſe nihil, quod optabant, ſcilicet, Lunam in aurum, minimè vertiſse. Vt igitur mineralium infinitus eſt numerus, præparatio etiam eorum multa varietas, quarum hoc loco facere mentionem diſtuli, quod peculiarem tractatum requirant. Cauendum etiam à ſophiſticis oleis, vitrioli & antimonij; item ab oleis metallorum perfectorum & imperfectorum; etiam auri, & argenti: quoniam, etſi horum operatio potentiſsima ſit in rerum natura, tamen verus eorum proceſsus in hunc vſque diem eſt (y) *pauciſsimis cognitus. Abſtinendum etiam à ſophiſticis præparationibus Mercurij vulgi, arſenici, ſulphuris, & aliorum ſimilium per ſublimationem, deſcenſum, fixationem cum aceto, ſale petræ, tartaro, vitriolo, ſale ammoniaco, eà tamen vià rationeve, quam docent libri ſophiſtarum. Item fugite ſophiſticas tincturas, a marcaſitis, & croco Martis deſumptas, & ab ea ſophiſticatione, quæ pars cum parte dicitur; Lunæ fixæ, ſimi-*

liumque nugarum. Nam etsi aliquam superficialem veritatis apparentiam exhibeat, quæ quidem Lunæ fixatio parui laboris est, atque industriæ, tamen eiusmodi progressus præparationis, est nullus, ac inualidus.

Ex amplissimo hoc ratiocinio Paracelsi, qui fusè, & luculenter, omnes errores laborãtium in indebita materia, ab Arnaldo in Rosario obseruatos explicuit, colligit Author noster, nullam methodum, ad hunc vsque diem, à prima Lapidis publicatione in Europa, fuisse præscriptam, quam Paracelsus, vt vanam non repudiarit.

Miror hæc obijci. Obseruentur notæ litterariæ alphabeticæ à me signatæ in quibus primò apparebit, Philosophos similitudinariè solum loquutos esse, de materiebus vegetabilium, animalium, ac mineralium, ergo qui ijs vtuntur ad lapidis structuram errant.

Insuper apparent omnes vani, ac inutiles labores Sophistarum, quos & ego concedo. Nullam methodum claram de Lapidis opificio pręscriptam esse, lubens dono. Si tamen Author be-

nè

nè aduertiſſet, quod ex Paracelſo exſcripſit, obſeruaſſet vt ego, ſub littera (y) pauciſſimis eſſe cognitum proceſſum oleorum auri, & argenti; ergo aliquibus eſt notus, pauci enim, ſunt aliqui, ergo falſum eſt, quod nulli hactenùs innotuerit vera procedendi methodus. Adde ipſum dicere Gebri, & Lullij methodum reprobare, & aurum, quod pro Ricardo in Anglia confecit Lullius fuiſſe ſophiſticum, cum hoc loco nihil prorsùs de Lullio dicatur, niſi quod ſimilitudinariè ſit de Lunaria, & vegetabilibus loqutus, ſed ipſe pro ſua humanitate eum inſerit, vbi non eſt. Sed quid noui in hoc attulit, quod non antea omninò à labore Philoſophorum reiecerimus? Omnia vegetabilia, animalia, mineralia, metalla excluſimus; hæc omnia in hoc diſcurſu excluduntur: Nobis conſentit.

Attamen malè obſeruauit Paracelſi dicta, ſiquidem dum eius proceſſum exponit, de Vitriolo interpretatur, cum tamē Paracelſus ſupra littera (t) & ſpeciatim littera (u) vbi expreſsè habet, nol-

le Philoſophos ſuum Lapidem progredi ex vllo mediorum mineralium, quapropter ſenſus Paracelſi non poteſt eſſe ille, quem ei Author tribuit, vt doceat aſſumendum Vitriolum, ſiquidem expreſsè docet, hoc non eſſe de intentione Philoſophorum.

Addo denique omnia opera recenſita eſſe Sophiſtarum, quare nihil mirũ, omnes in caſsùm laboraſſe; Quod ſi intentum probandum erat, oſtendere opportuiſſet non vanos errantium, ac ignorantum labores, ſed Philoſophorum.

De Gebro verò, & Rupiciſsa expreſsè aſſerit eſſe illos labores ſophiſticos, ideòque reijciendos, quod verum eſt, ſi ad litteram intelligantur; quapropter benè monet, quæ ſint fugienda, & in hoc oſtendit ſe non eſſe Impoſtorem, quia reijcit modos corũ, qui ſimilitudinariè loquuti, miſeros homines ſeducunt, non voluntate, ſed occaſionaliter, cum ignari ad opus accedentes, falſa materialia, quæ in littera exprimuntur, loco verorum vſurpẽt.

Re-

Reassumens itaque repeto; Omnes omninò processus sunt inutiles, quia veram methodum nemo præscribit, non quia non sciatur à Philosophis, sed quia in odium ignorantum aperire nolunt; ideò omnes processus, solummodò adumbrationes sunt, operum Naturæ, quomodo illa in magni Lapidis constructione procedit. Hinc & ipsius Paracelsi processus inutilis est, eo modo acceptus prout sonat, quemadmodum notaui, Vitriolum etenim, & ipse in suo discursu ex Sapientibus, exulare iubet: quod si loco vitrioli, aliud assumpserit, à via veritatis, quam omnes Sapientes ingrediuntur, non aberrabit.

An verò vnquam vlla extiterit vera metallorum metamorphosis, quam absolutè negat, exempla innumera docent, vt temerarium videatur esse negare, quod testes oculati monumentis dedere, ijque non Chymici, sed historici, qui non ex illusionibus, sed ex rei veritate factum esse docent. Scio ipsum fidem nullam habere Lullio, in Theorica veteris testamenti, vbi nomi-

natim perſonas citat, quæ interſuere Neapoli, cum ipſe coràm Rege Roberto tranſmutationem oſtendit. Sileo quid ego viderim in ædibus Excellentiſsimi Comitis Antonij Rabbata, ad duos Ponte (loci id nomen eſt) anno 1646, dum hic pro Auguſtiſsimo Imperatore Ferdinando III. glorioſiſſimę recordationis, Oratorem apud Sereniſs. Venetorum Remp. ageret, puluerē ad tranſmutationem Hydrargyri prębente, Illuſtriſs. Barone, Friderico Georgio de Reichenbàch, quem ad Comitis gradum idem Auguſtiſs. Imperator euenit Linzij, anno ſubſequente. Patet, quod actum eſt Pragæ, coràm eàdem Cæſarea Maieſtate XV Ianuarij, anno MDCXLVIII ex auro etenim iſthic confecto, numiſma cuſſum fuit, cuius exemplar & magnitudo, Aeri inciſa Publicè proſtat; maximè in Oedipo Chymico quàm omnibus licet videre.

Memorabilis eſt in hanc diem, ac celebris Venetijs, Mamugnani memoria, qui non per tranſitum, ſed integro ferè decennio, non clanculum, ſed palàm, in

in conuiuijs, quotidiana edidit transmutationis specimina, cuius assueta vox erat, *præcipiti copula, ex Mercurio Sol.* Hic tamen, quemadmodum non Philosophus, sed homo scelestus erat, qui Tincturam non ipse confecerat, sed confectam à quodam P. Capuccino, obsidente Henrico III Parrhisios, Rege interépto, eidem Religioso extitit Mamugnanus comes, Romam petenti; attamen in Lorenensium syluarum transitu, Philosopho siccariè perempto, Tincturam rapuit; inde Brixiam se contulit, vbi ab Illustrissimo Domino Marchione Martinengo hospitio exceptus, transmutatione iterum, iterumq; ostensà, Veneto Senatui commendatur. Venetijs honorifice est habitus, vbi pluribus annis commoratus, deficiente demum Tincturà, in quotidianis experimentis, & luxu, quemadmodum non confecerat, ita neque multiplicare nouit, quare, quodammodo profugus, in Bauariam iusto Dei iudicio ductus, cõuictus sceleris, parricidij, & imposturæ simul, in eminenti duplicato, ac deau-

rato patibulo, pœnas dedit: Non Philosophus, ſed Philoſophi iniquus ſiccarius, & parricida Sacrilegus. Proceſſus in ædibus Ill. DD. Comitum Fuggerorum aſſeruatur Auguſtæ Vindelicorũ.

Poſſem hic referre exempla, & experimenta innumera, quæ in Germania paſſim fuere edita, ſed Author, quando aperte negare non audet, Diabolũ feciſſe reſpondet. Ita de hoſpite illo noctis vnius, qui Helmontium dubitãtem, experimento conuicit: Ita quę Michael Scotus Baſileæ, Argentorati, Moguntiæ, Coloniæ edidit, calumniabitur; Ita alia innumera, quæ publicis monumentis conſignata, omnem ambigendi adimunt rationem; quæ omnia Autor, negabit, ac pernegabit, eà duntaxat ratione, quia ipſe non vidit, & ſi vidiſſet, illuſiones fuiſſe contenderet. Vt ſolà negatione euentus, impoſſibilitatem probet, & ſolà opinione impoſſibilitatis, non probatà, ſed præſumptà, omnium aliorum aſſeuerantiam elidat; & vt apertè cõcludat, omnium in Chymia operãtum vanos eſſe labores. Ne-

queo

queo non irridere ſtudium fruſtraneũ, quod Autor aſſumpſit, vt ex primordialibus litteris illius Paracelſi dicti. *Viſitabis Interiora Terræ; Rectificando Inuenies Occultum Lapidem, Vniuerſalem Medicinã*; Vitriolũ erueret. Magnum enim ſe præſtitiſſe iactat, cum tamen Paracelſus in verbis ſequentibus immediatè ſeipſum explicet dicens, *& in occulto ipſius VITRIOLI latet ſapientum rubedo*. Ex hoc opportuit materiam veram elicere, non vocem ex primordialibus litteris, quæ ad ſonum, Vitriolum referunt at re, non eſt in illo intentio Paracelſi, vt ſupra docuimus.

Non maiorem rerum Chymicarum notitiam ſapit quod addit dicens, in omnibus proceſſibus, Vitriolum principem locum tenere, quod vel pueris eſt notum. Rogo, quale Vitriolum? an Germanicum, an Hungaricum, Romanum, Cyprium, an omne? Nullus Philoſophorum Vitriolum aſſumit: omnia atramenta excluduntur, ſed Sapientum vitriolum eſt radix, & ſal metallorum, in quo ſcilicet virtus mineralis

quieſcit, non ſpecifica alicuius metalli, ſed vniuerſalis. Hoc Vitriolum obtrudit Paracelſus, oculis Talparum prorsùs inuiſibile, Aquilarum obtutui obuium. Quod ſi Author nouiſſet, aliam profectò ceciniſſet cantilenam.

Quæ igitur ex Paracelſo ſe colegiſſe opinatur alium longè ſenſum habent, qui non meretur irrideri, eſt enim ipſi latens, neque aſſueto ſibi occultorum eruendorum artificio perſcrutabilis. Quæ an ita ſint, liceat hæc ſequentia conſiderari.

CAP. IX.

Examinantur obiectiones, quas idem contra ſe format, vbi de Artis vetuſtate, ac veritate diſſeritur.

TRes obiectiones ſibi opponit, eaſq; examinat, quaſi nullæ ſint aliæ ad conuincendam rei veritatem, quarum plurimas, Authores in libris ſuis fuſiſſimè diſputant, inter quos Petrus Bonus, acutiſſimè ſimul ac doctiſ-

ſimè,

ſimè, & Péripateticè diſceptauit.

Prima eſt: iniquum eſſe Artem tot millibus annorum à Sapientibus acceptam repudiare velle. Alterum, Aurum, tum Veterum, tum Modernorum induſtriâ, arte Chymicâ confectum, ex teſtimonijs fide digniſſimis conſtare. Tertium, Viros Alchymiſtas, veræ Artis Profeſſores, homines Deo deuotos, ac Religione ſacrâ obſtrictos, qui complura Diuino lumine illuſtrati exercuere, *cenſoreâ uirgâ uerberare*, *apertæ impoſturæ crimine conuincere, minimè tolerari poſſe*.

Has, inquam, obiectiones præcipuas eſſe aſſeuèrat, quaſi non ſint Phyſicæ rationes ſufficientiſſimæ, & efficaces, ad confutandos calumniatores, quemadmodum videre licet in Gebro, in Petro Bono citato; in Claueo contra Eraſtum, in Libauio contra Pariſienſes Cēſuratores, qui adeò profusè tantæ veritatis aſſertores exiſtunt, vt pigeat referre, quo præſumpta impoſturæ nota, ab Authore perperàm prætenſa, facilè euacuetur. Cæterum in harum nouarum, (ſcilicet) obiectionum eliſione incumbamus.

Quan-

Quantum igitur ad primum;Iure à se fieri profitetur, quod Artem vtut antiquam exagitet, non aliundè, quàm quod friuolis dũtaxat coniecturis, nullis fundamentis nixa,antiquitas probetur: quare tempus sibi perdendum non esse in eorum cõfutatione: Satis à se dictum, in huius operis Sec. 11.c.21;cuius tamen dicta dicendis confutabimus.

Quoniam Alchymiæ vetustatem negare non potest, triplicem distinguit; scilicet Metallurgicam, Chrysopœjam, & Spagyricam: quarum priorem vetustissimam asserit, eamque à Deo Adamo inditam, & à Patriarchis in magno prætio habitam, deque eà esse omnem Aegyptiorum doctrinam. Secundam recentem, & non nisi Imperatorum temporibus tractari cœptam. Tertiam æequè vetustissimam, quia in Medicinà plurimum valeat, eiusque excellentissimas vires ex intimis Philosophiæ fontibus haustas esse. Hanc innumeris (& meritò) encomijs celebrat, & extollit; existimo, quia magnam eius peritiam profitetur: de quo suo loco.

Vnde verò hanc hauserit diuisionē, ignoro; siquidem adeò inter se hæc omnia connectūtur, vt nequeat esse Chrysopœia, sine Spagyrica, neque Metallurgica, sine vtràque; Nisi etenim salia noueris, & additamenta, parùm proficies in metallorum purificatione; immò, Aurichalcum,& Electrum, quæ ad Metallurgicam attinent, Chrysopœiæ sunt opera. Sed esto.

Spagyrica, quam (meritò) vetustissimam tanti facis, a Parisiensibus Doctoribus damnata fuit,pro quà stetit acerrimus propugnator Libauius: Immò si Galenianos adieris, neminem reperias, qui Spagyricam hactenùs non sit execratus; esto moderniores, veritate cognità, experimentis coacti, dare manus non vereantur. Idipsum Autor facturus esset de Chrysopœià, vbi aliquis Roseæ crucis Frater, confectū Lapidē, eiusque conficiendi certam rationem, ac methodum aperiret.

Hàc arte Lullius, negando pertinaciter Alchymiæ veritatem, argumentis efficacissimis, Arnaldum, oppositionū

im-

impatientem adegit, vt artem sibi manifestaret.

Diuisionem tamen antedictam admitto; quamuis non tanquam generis in species, siquidem vt ostendi, altera alteram inuoluit, sed ratione finis. Metallurgica etenim, metalla è minerà secernit, purgat, liquat, ac malleo ductilia reddit. Altera imperfecta perficit. Tertia principia è mixtis educit, purgat, & ad vários medicos vsus adaptat. Hoc tamen addito, quod Chrysopœiæ non sit primarius finis, metalla perficere (nisi ratione vocis id contendas) sed scopus eius præcipuus est vniuersalis medicina, quà non metallica modò, sed & animalia, & vegetabilia corpora, ab impuritatibus repurgata, ad perfectum salutis statum reducũtur. Propterea hæc maximè Adamo fuerat, ac posteris necessaria; siquidem in peccatum lapsi, omnigenos morbos, in sui perniciem, tanquam Diuinæ vltores indignationis euocarunt; pro quorum curatione magis Diuinæ consonum fuerat miserationi remedium adferre,

ferre, in subsidiũ Ligni Vitæ, vt quemadmodum per Redemptorem, animæ salus, ita per vniuersalem medicinam, corpori redderetur integritas.

Hanc verò longè magis fuisse necessariam inde suadetur, siquidem Metallurgica non nisi ad ciuiles vsus, atque commutationes est commoda, nullius alioquin necessitatis viuentibus, quinimo perniciosissima; Contractus verò ciuiles, Adami temporibus, nullo vsui fuere, quare non nisi a Tubalcain fuit exercita; Adde ad hos etiam metalla non esse necessaria, siquidem permutatione fieri possunt rerum aliarum contractus, ita enim Incolæ Xanti, & Rusthenæ pisces frigore exsiccatos, Noruegis, pro frumentis, ac leguminibus adferunt: Ita Rutheni vt plurimum cum Lithuanis pellium præciosarum mercimonia permutatione perficiunt, & in America, conchis quibusdam mẽsurà commutatis, Populi quidam prætij loco vtuntur, teste Botero. Quare Metallurgica necessaria non fuerat Adamo, ideòque non propter hoc ei fue-

fuerat à Creatore communicanda.

Addit, hanc esse omnium Aegyptiorum sapientiam. O magnam sapientiã, quam in Germania passim vilissimi Rustici exercent, nulla Aegyptiorum Hieroglyphicorum præuià notitia! Non opinor ego, tantis opus fuisse mysterijs, ad metallorum excoctionem aperiendam: Ob hãc igitur, tot Hieroglyphica, tot Aenigmata, tot Obelisci, tã arcana communicatio Sapientum, ac Sacerdotum, vt inferiùs ipse docet, vsum Hermetem fuisse, postquam Obeliscis Hieroglyphica insculpsit? Vulgaris nimis est venæ excauatio, lauatio, coctio, schliKij confectio, & tandem fusio ex mancà, & per cineritium purgatio. Quæ rogo Hieroglyphica hos labores aperiunt? tantæne molis sunt tam arcana, vt mereãtur Obeliscis, Aeternitati transmitti? Natura, eiusque exacta cognitio, ijs inuoluitur, & ea dogmata, ad quorum obtinendam notitiam Apollonius, de quo D. Hieronymus *intrauit Persas pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima*

Ep. ad Pauli num.

tissima Indiæ Regna penetrauit; Ad extremùm latissimo Physon amne transmisso, peruenit ad Brachmanas, vt Hyarcam in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus syderum, & dierum cursu, audiret docentem: inde per Aelamitas, Babylonios, Medos, Chaldæos, Assyrios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Palæstinos reuersus Alexandriam perrexit Aethyopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. An ea omnia suscepit itinera, vt Metallurgicam disceret? An propterea Pythagoras Mẽphiticos Vates, & Plato Aegyptios inuisère? Natura, Naturæque cognitio, istis arcanis inuolucris custodita quærebatur, de quibus, & disserebat Hyarca, & Memphitici Vates, & Aegyptiorum Chaldæi; Quà Naturæ agnitione obtentà, facilis est Chrisopœiæ notitia; vtiqueà viris Religiosis, (quippe paupertatis voto obstrictis) vilis habenda, propthereaque impugnanda. Qui tamẽ non eam notitiam dirigunt ad aureos accumulandos montes, sed ad miran-

da

da Naturæ agnoſcenda, omninò decet inquiri; quoniam eà obtentà, Hermete teſte, *Sic habebis gloriam totius mundi, ideò fugiet à te omnis obſcuritas*: ſiquidem per eam agnoſcitur, quod *quemadmodum omnia ſunt ab vno*, Scilicet Deo, *meditatione vnius*, ſcilicet Naturæ, *ita res omnes factæ ſunt ab vnà hàc re*, nimirum, vniuerſalis ſeminis *adaptatione*, hoc eſt applicatione actiuorum, ad paſſiua; ſiue ſeminum particularium, quibus vniuerſalis Natura ad libitum operantis, ad omnia redditur apta, in omni regno Naturæ. Nequaquàm verò in metallorum excoctione, e mineris, quo tendit Metallurgica.

Ad primum igitur argumentum reſpondeo, vetuſtiſſimam eſſe Artem, à Mercurio Triſmegiſto nobis traditam, in tabulà Smaragdinà, etiamſi non fuerit ille primus, namque in capitulis, qui eius nomine extant, & phraſis cum Pimandro conſentit, quem etiam SS. PP. & omnes Philoſophi fatentur eiuſdem eſſe, Veterum, ac Priſcorum Sapientum meminit, qui fortaſſe, vel ante Dilu-

vium extiterint,& in eisdem columnis, in quibus Mathematicæ disciplinæ fuerunt insculptæ, pariter continebatur. Quo autem tempore Hermes extiterit, cum tres Hermetis nomine referantur, Enoch, Noe, & hic Hermes, probabilius est hunc tertium fuisse, qui in Aegypto regnauit, Atlantis nepos, de quo vetustissimi extant hymni, qui à Græcis, sub nomine Hermetis, ab alijs Mercurij, omnium scientiarum inuentoris, celebratur, à quo Author ipse infrà non abhorret. Hunc Deorum Nuncium, ac interpretem dixère, non quia Metallurgiam docuerit, sed quia, vt ipse fatetur, *itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ naturalis*. siue vt alij legunt, *Mihi verò nomen Hermetis Trismegisti impositum fuit, quod trium Mundi Sapientiæ partium Doctor deprehensus sum.*

Non igitur inanis, non leuis coniectura de huius artis antiquitate habetur, sed certa scientia; Authores clari, experimenta, vel in sacris litteris commemorata, vt de Vitulo aureo à Moy-

ſe in potabilem puluerem rèdacto, de argenti operatoribus, ex Baruch, & ſi profana documenta quærantur, omnes propemodum fabulæ Græcorum non niſi de hoc lapide adæquatam interpretationem ſuſcipiunt: non quidē, quod aurificium directè contineant, ſed vires, & operationes, quibus Natura potitur in huius Opere. Alioquin, dicat mihi Author; Quid Python Apollinis radijs confectus, niſi putredinem à calore ex Sole, ſeu calore exutam? Quid Dentes, e quibus armatorum ſeges, ſeipſam lapidis iactu interimentē, niſi reditus in primam materiam omnium vegetantium, virtute lapidis, ideſt aquæ naturalis, quæ lapis dicitur aqueus? Quid Tauri igniuomi, Quid Draco peruigil; Quid Latona gemellorum Parens, in inſulà, quæ modò ſub aquis deliteſcit, modò ijſdem innatat? Quod ſi vniuerſa velim percurrere, omnia arcana Naturæ opera ijs continentur; neque enim gratis Sapientiſſimos mortalium, hæc confinxiſſe credendum. Quare de Lapidis antiquitate, nō

vanæ coniecturæ, sed infallibilia documenta, & solida argumenta reperiuntur.

Ad secundum quod attinet: Aurum quidem confectum fatetur, non tamen aurificis Lapidis virtute, sed alia ratione, quam se dicturum asserit, nimirum, vel è materialibus aurum continentibus extractum, vel fuco aliquo introductum, de quo infrà. Interim negat Lullium Aurum verum fecisse testimonio Paracelsi, quem Nebulonem, Thrasonem, Dæmoniacum dicit. Hoc tamen teste, quem omnis Philosophiæ ignarum prædicat, dictis suis fidem asserere intendit, immemor infames à testificando arceri, Attamẽ ipse testimonio infamis vtitur, quo veritati fucum obtendat. Negat inquit Paracelsus, & Medicorum Anglorum complures, genuinum Aurum fuisse, quod confecit Raymundus. Sexcenti id adstruunt, & verum fuisse, & eo Anglorum Regem vsum contra Gallos, de quo inferiùs cap. 14. clariora producam testimonia, omni exceptione maiora, id asse-

uerantia. Rosæ nobiles, moneta in hæc vsque tempora asseruata id ostendũnt; Iniquè igitur negatur, quod à tãtis viris asseritur. Quod si Paracelsus, & Medici negent, fuisse legitimum Aurum, nullo fundamento, & inuidià ductì, vt & ipse Autor fortè negarunt. Tum ad Rupicissam descendit, vt ostẽdat ipsum Aurum non confecisse, eòquod falsam, ac periculosam Chrysopœiam esse, affirmet Quæ nun ita sint, ipsius Rupicissæ, ab ipso allata verba, audiamus, desumpta, ex Lib. Quintæ Essentiæ, prima par. cap. 22.

Contestor omnibus Euangelicis viris, Deo inuocato in testem, quod si Diabolo instigante in operationes Alchymicas illabantur, facilè in reprobum sensum dentur, & scio quia est via perditionis, & mali; adeò quod nullus Philosophorum scripsit veritatem in libris, nisi fictè, & sub parabolis, quæ non valent intelligi, ac comprehendi, ingenio humano. Et nota etiam, quod nullus valeat ad sublimia huius Artis peruenire, nisi fuerit per Altissimam contemplationem, & sanctissimam vitam deificata priùs mens eius; itaut cognoscat,

gnoſcat, non ſolùm omnia interiora Naturæ, ſed etiam cognoſcat transmutabilem transmutare Naturam & hoc paucißimis eſt conceſsum. Et communiter hi, fictionum & ſophiſticationum ſectatores ſunt, & efficiuntur falſificatores monetæ, & ſigillorum Prælatorum, & Principum. Vagabundi, deceptores, & damnabilis vitæ, de quibus verificatur ad litteram illud Pauli 2. ad Corinth. c. 3. dicentis, Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam peruenientes. Quando non poſſut ad ſcientiam perfectam peruenire, ad ſophiſticationes ſe conuertunt, & communiter malo fine clauduntur. Hæc omnia rectè dicta à Rupiciſſa fatetur, quem celebrẽ ſui temporis Alchymiſtam, fuiſſe affirmat.

Hoccine teſtimonio, Rupiciſſa, Chriſopœiam falſam eſſe pronunciat? tantum abeſt, vt falſam adſtruat, quia, & à Philoſophis ſciri, & ab ijs, quorum anima deificata fuerit, per cognitionem Naturæ. Scitne Author, de quibus ſciri neget Rupiciſſa? Non de ijs, quos vera Naturæ cognitio ad Opus vocauit. Sed de ijs, qui Diabolo inſtigãte, nulla

Naturę pręuià notitià habità, ad Opus accedunt. Hi sunt, qui in Sophisticationes labuntur, deceptores, monetarij, falsificatores, & qui malo fine perimũtur. Et profectò ita est; Qui etenim ob auaritiam, & vanitatem, non vt Deum venerentur in suis operibus admirandis, ad Opus accedũt, omninò in omnẽ iniquitatem labuntnr. At hi non Philosophi sunt, sed quos Diabolus traxit in rete iniquitatis.

Cæterum Philosophi, Deo pleni, quorum anima Diuina Sapientia repleta, humilitate, pietate, studio veritatis, non vanitatis ergo scientiam quærunt, ijs Deus reuelat; non quidem apertè, & per Angelum, vt Salomoni, sed per intellectus illuminationem, quà Naturã, eiusque operandi modos agnoscunt.

Intelligit modò opinor testimonium productum: Sed quid in hoc contra Chrysopœiam? Quibus rogo verbis, eius possibilitatem negat? immò ex eo manifestè colligitur esse naturalem scientiam, Dei donum, quemadmodum sunt omnia bona, vt & ipsæ naturales

fa-

facultates, quod munus non ad nequitias, ad scelera, ad vanitates, sed ad Deum laudandum, proximum subleuandum, pietatem promouendam conuenit adhibere. Qui verò, per falsos processus, per falsas sophisticationes, sine agnitione Naturæ, hoc opus intentant, id Dæmonis instinctu fieri, ideòque omnia mala, vtpotè nequitiæ parente inspirante, ac promouente exoriri. Aduertat Author seipsum redargui, qui Chymicos Philosophiæ ignaros decantat. Hic fatuos Chymiastros, non Philosophos, Naturæ interpretes, peritos omnis naturalis scientiæ gnaros, fatuos inquam Chymiastros detestatur. Cupiebat, vt Rupicissa fateretur, se Chrysopœiam ignorare; quia verò se eam callere Deo inspirante dixit, inter impostores relegatur. Sed mentiri nescit Philosophus; alienum hoc est à candore Sapientis, quo omnes veritatis indagatores dotatos esse oportet. Iis mentiri liceat, quibus idipsum asserere, ac negare, pro lubitu, datur.

Quoniam igitur, & Rupiciſſam inter impoſtores collocauit, videamus impoſturas. Quia, inquit, Panaceam ſibi reuelatam aſſerit diuinitùs, quam tamen ex Raymundo exſcripſit. Veritas vna eſt: quicunque veritatem dicunt, rem eandem dicunt, neque indigent, vt ab alijs deſumant, eſto neceſſarium ſit in idem recidere. Quicunque Eclypſim vidère, eiuſque çauſam agnouère, eſto Ariſtotelem, aut Aſtronomorum nullum legerint, dicent eſſe corporis opaci interpoſitionem inter luminaria. Quicunque quantitatem continuam, aut diſcretam cognoſcit, ſciet omne totum maius eſſe ſuà parte, etiamſi nihil ſibi conſtet de Euclidis Axiomatibus. Deo reuelante, nouit Rupiciſſa, materiã, & magiſterium Lapidis; Cum Raymundo conſentit, ergo ex eo exſcripſit? Mala conſequentia. Inferas, ergo vterque eandem veritatem agnouit.

At Rupiciſſa vanitati fuit deditus: Prophetiæ donũ ſe poſſidere præſumpſit, teſte Franciſco Pico. Quid inde? ergo

Ergo propterea falsa erit scientia, de Metallorum Metamorphosi? Multi fuere Theologi, moribus dissoluti, ergo Theologia falsa? Origenes, multis hæresibus sua scripta inspersit; ergo omnia eius scripta falsa? D. Augustinus negauit Antipodas, ergo falsa sunt, quæ de SS. Trinitate, quæ contra hæreticos varios scripsit? O mirum arguēdi modum! Verum est, fateor, in Christiana doctrina, eum qui in vno delinquit, omnium factum esse reum, id tamen in Philosophia non admittitur; Multa falsa docuit Aristoteles in Libris de Cœlo, non item in Libris de Generatione Animalium, in Moralibus, & in alijs. Multa Autor ipse falsa experimenta interserit in suis voluminibus, quæ inferiùs examinabimus, ergo nihil veri in omnibus dixit? Ergo est impostor? Absit.

Iniquum tamen iudicium format de omnibus Philosophis, ex vnius Rupisciſſæ defectu; eoquod namque hic Prophetiam affectauerit, infert hoc vitio omnes Alchymistas laborare. Meliùs

in-

intulisset, omnes qui odio alicuius rei, in eam inuehuntur, eodem modò omnes eius possessores indistinctè lacessere, ac criminari, vt ipse facit.

Ecce tibi aliud Authoris, non minùs ineptum argumentum, quo Lapidis impossibilitatem euincere censet. Lullius (inquit Author) profitetur sibi diuinitùs à Christo Domino reuelatum Magisterium, ergo humana Arte id nequit haberi. Inferas, ergo humano studio non didicit. Salomoni Deus omnem scientiã reuelauit, ergo nulla est acquisibilis studio humano? Dicat velim, si Deus sibi reuelaret, Helleborum purgare cerebrum, an propterea humanitùs oriri non posset? Christus Dominus diuinà scientià nouit Lazarum esse mortuum, ergo non nisi eàdem sciri poterat? O' lepidum arguendi genus!

Aliud audiamus argumentum, quo probatur Aurum à Lullio nõ fuisse cõfectum, ex quo Artis impossibilitatem euincit. Dicit itaque. *Aly historiam* (de Auro scilicet à Lullio confecto) *controuertunt, alij strenuè negant; Vanamque Pa-*

ra-

racelsus, *& Treuisanus ostenderunt. Hic* (Treuisanus scilicet) *Chymicos* (inquit) *libros à Lullio conscriptos negare non possumus, qui tamen potiùs à via recta seducunt, quàm ad scopum dirigant.* Modò ad argumentum. Treuisanus dicit libros Chymicos Lullij à recta via seducere, ergo Treuisanus negat Lullium Aurum confecisse, seu ostendit falsum esse, quod Aurum confecerit. Heccine consequentia? Inferas, ergo per eos libros nihil discere possumus, quod ego concedam, si ad litteram eius practica intelligatur, siquidem de aqua vitæ, tartaro, floribus vegetabilibus, euphorbio, brasicà marinà, ac similibus differit, quæ ad litteram sumpta omninò sunt inutilia ad Magisterium.

Sed obijcies Lullium hominem scelestissimum fuisse, hæreticum, damnatū à Gregorio Vndecimo Hæreseos, quare impossibile est, cum reuelatione didicisse Magisterium. Do gratis, neque enim damnatas eius propositiones laudo, aut admitto. Immò ex ijs contra Authorem argumentum elicio. Primo

Al-

Alchymiæ veritatem, hæc etenim propositio damnata non reperitur à Pontifice, à quo centum propositiones aliæ, Authoris eiusdem damnatæ fuere. Teste Eymerico Direct. Inqu. par. 2. q. q. fol. mihi 272.

Præterea eius argumentum Authoris, quo inferebat Alchymiam, siue Lapidis magisterium naturaliter haberi non posse, eoquod Raymundus dicat sibi Diuinitùs reuelatum; ex quo sic arguo. Raymundum Magisterium habuisse, ex ijs quæ & dicta sunt, & dicentur, certò constat: atqui impossibile est in hoc statu, Diuinitùs illud habuisse, ergo habuit illud naturaliter; ergo est naturaliter possibile.

Intulerat Author, Aurum non confectum à Lullio, quia libros scripsit, e quibus Ars haberi non potest. Idipsum Ioannes Andreas IureConsultus de Arnaldo scripsit, librum hunc edidisse, qui multos depauperauit, vel quia non verus, vel quia nō intellectus, de Auro tamen ab eo confecto seriò fatetur; sic etenim habet. *Fuit his diebus Romæ Magister*

gister Arnaldus de Villa Noua, Theologus, Philosophus, & Medicus summus, qui etiam virgulas aureas conficiebat, quas omni probationum generi submittebat. Librum etiam de hac Arte conscripsit, qui multos depauperauit, vel quia non verus, vel quia non intellectus. Hic Romæ erat cum scriberet; aurum vidit, probatum nouit, non sophisticum, non à Diabolo, sed ab Arnaldo confectum, & tamen liber multos depauperauit, vel quia non verus, vel quia non intellectus. Librorum difficultas, non tollit rei veritatem. Libri ipsi Sacri, si littera inspiciatur occidunt, littera occidit, spiritus autẽ viuificat. De B. Pauli Epistolis scribit D. Petrus, multa illas difficilia cõtinere, an propterea falsa? Deus auertat tale quid cogitari. Aduerterat Author, inutile esse hoc arguendi genus, quia tamen dictis aliter fidem facere non poterat, ob inutilitatem rationum, in vitam, & mores Philosophorum inquisitionem instituit. Et hoc est tertium argumentum, quo omnes Philosophos Chymicos, scelestos, moribus improbos, Religione im-

pios,

pios, ſuperſtitioſos, ac vanos deprædicat.

De Raymundo igitur primùm, ſic habet. *Qualis Lullius ante ſuam conuerſionem fuerit, ſuprà declaratum fuit, etſi Diuinà luce poſtmodum illuſtratus, errores, & vanitates ſuas cognouerit* (quæ ſcilicet damnata fuerunt, vt praua, & Hæretica:) *vnde in pœnitentiæ operibus, Heremiticam vitam, vaniſſimo ſtudiorum priſtinorũ exercitio reprobato, aliquantiſper ſectatus eſt; deinde etiam charitatis erga proximum operibus totum ſe impẽdens, tandem in Africa, dum fidem Chriſtianam propagaret, Lapidibus obrutus, vitam felici Martyrij fine concluſiſſe fertur. Vide vitam eius, non minùs piè, quàm eleganter a P. Cauſino deſcriptam.* His Opponentis dictis nihil addo; neque enim eſt opus.

Poſt Lullium, inſectatur Arnaldum, cuius doctrinam damnat, de ſigillis, de magicis ligaturis, quas naturaliter fieri poſſe contendit. Hoccinè ei crimini tribuitur? Dixi ſuperius, non benè ex vnius rei defectu, & ignoratione, omnium aliorum ignorantiam concludi:

di: Author, qui omnium Orientalium linguarum peritiam obtinet, non propterea callet Americanas, neque ex harum inscitia, inferre licet priorũ ignorantiam; Attamen de sigillis, disputationis ergo, non consensu opinionis, hæc accipe.

Concedimus omnes Dæmones vera miracula facere non posse, neq; posse quidquam, quod Naturæ vires excedat, quare ea quæ faciunt, sunt omnia, quoad substantiam, opera naturalia; quemadmodum ea, quæ Magi in Aegypto operabantur: Sunt igitur ad ea vires in Natura, vt etiam suprà de Lapide diximus, quare nobis non deest nisi modus operandi, & applicandi actiua passiuis, maximè cum omnia penè fiant seminibus hinc inde dispersis, in sententia ipsius Autoris.

His positis; quis, vel mediocriter in Peripatetica doctrina versatus, nõ nouit, ad vltimam dispositionem cõsequi formam? Siue ea à Deo, ut auctore Naturæ, siue à Cęlo, vt causa vniuersali, siue vt Thomistę volunt, ab accidẽtibus,

in

in virtute ſubſtantiæ operantibus, proficiſcatur? Cũ igitur metalla liquantur, in ea fortaſſe defluentes influentiæ ſidereæ, quæ aſſiduè deſcendunt, vim ſuam imprimunt, & cum refrigerata indurantur, in iis quodammodò vis illa imprimitur: non quod imago Leonis, aut Sagittarij, aut aliorum Planetarum, quidquam operetur. Perfectò, de puluere ſympatico, e Romano vitriolo confecto docet Nicolaus Papinius, omninò naturalem eſſe eius virtutem, ad operandum; neque enim diſtare dicuntur, quæ naturali ſympathia, mediantibus vniuerſalibus influentijs coniunguntur, cum Natura ſit vna continua, & rerum omnium in vnum ſit ordo continuus. Ad ſuperſtitioſam verò operationem requiritur pactum ſaltem implicitum, cum nefarijs Spiritibus, qui ad certum ſignum, aut verba ignota, concurrũt cum operãte; Cęterum quę ſola Naturæ obſeruatione operamur, diſpoſitiones in certa materia inducẽdo, ſtatuto ſidere, ſuperſtitioſa non ſunt. Ita in Agricoltura, & in Medi-

cina

cina contingit, in qua præcipuè cum membra humana à Planetis dirigātur, qui in ijs dominium obtinent, quemadmodum & cœlestes Dedecatemoriæ, qui Marte, aut Saturno malè dispositis ferro eas partes attigerit, quibus prædominantur, pernitiosè operatur; & sic in alijs. Ideòque Sixtus Papa V. & Sacra Tridentina Synodus, Astrologiā, in vsu Nautico, Agricolturæ, ac Medico laudauit, & admisit. Nonne semina Reg.
certa, non nisi statuto tempore com- 7.
mittenda terræ iubemur? Ideò igitur, quia terrestribus cum cœlestibus, inest certa connexio, in seminalibus, aut alijs operationibus. De metallis profectò mira videamus, quorum ratio cum nos causa lateat, non propterea ad superstitiosos effectus licet accurrere: In Ilua, seu Elba ferrum abundè nascitur, attamen nulla vi in Insula eàdem, potest ductile reddi. Quis huius rationem adinuenerit? Fateor ab Ecclesia iure prohiberi hæc Sigilla, quominùs Popellus, in superstitiones facilis, rebus his efficaciam tribuat, vel ipsam volunta-

tem liberam coartandi, vt ad Amorem, ad Odium, ad næcem Sigilla confici cēseat, & propter alia ipsi Ecclesiæ cognita. Quod si Arnaldus ita sensit, de vi eorum naturali, vt Philosopho licebat disserere, & quæ Ecclesia nondum damnauerat implicitè, vel expresse poterunt licitè exerceri; Peccatum siquidem non cognoui, nisi per legem.

Sed demus de facto Arnoldum de Sigillis malè sensisse, & in hoc esse deceptum, ergo fuit impius, & propterea Lapidis operatio, erit impossibilis?

Insimulat rursus Arnoldum, vt hominem scelestum probet, quod Arte Chymica hominem se conficere posse dixerit. Fateor me tale quid in Arnaldo non obseruasse. De quodam quidē Comite Catalano hæc circumferri cognoui; immò nonnulli (sed stultè) Comiti Treuisano id adscribunt, quod seipsum à famulo interfici iusserit, vt iuventuti rediuivus restitueretur. Sed meras esse nugas opinor, cum nemo Philosophus nesciat indiuidua eadem non renasci, sed alia similia in Natura

nu-

numerò diuersa, quoniam indiuiduatio pendet, & à circumstantijs temporis, quod idem redire est impossibile. Pro quo Notandum.

Seminum alia hermaphrodita esse, alia singularia, seu masculina, & fœminea. Item animantium alia viuipara esse, alia ouipara: ex concubitu alia, alia ex putri, alia ex vtroque, vt mures, progigni (de quibus infra.) Quæ sunt hermaphrodita, sunt omnia semina vegetabilium, & mineralium, omnes arborum rami, earumque partes, vt radices, & trunci: quæ etiamsi à Botanicis subinde, in masculas, & fœmineas distinguantur, ea tamen distinctio non est propriè sexus, sed virtutis; ideoque omnia semina, omnes radices, omnes surculi terræ concrediti, enascuntur.

Ouipara, se habent quodammodò, vt hermaphrodita, non tamen sunt; quoniam ovum absque maris commistione, non est fœcundum: verum tamẽ est vnico maris concubitu spirituosà quadàm irradiatione impressà fæmellæ vterum ita fœcundari, vt omni-

bus ouis viuifica virtus communicetur, non obstante diuerso coeundi genere, in Piscibus, Serpentibus, & Auibus, de quibus Philosophus. Est igitur in ouo vtrumque semen, masculeum scilicet, & fœmineum, vnà cum succo alimentali, quo pullus, antequam luci reddatur viuit; item & humor, qui corporis formam, & augmentum ministrat, qui in carnes, ossa, ac pennas formatur, quoadusque ad statum perfectum deuenerit; quo adepto, testà disruptà, in lucem editur pullus.

Lib. de gen. An imal.

Secùs se habet in viuiparis, quæ ex coitu solo nascuntur, in quibus semen maris fæmellæ matrici commissum, ab eà fouetur, eique è proprio sanguine subministratur alimentum, inseruiente reliquo seminis corpore, ad membrorũ opificium. Inest attamen huic, spiritus vitalis, qui facilè euanescit; ideòque nullà vi humanà, aut Angelicà potest restitui, aut suppleri. Cum enim in vtero recipitur, tunc primò fœcundatur, siue concurrat efficienter, siue passiuè duntaxat, fæmineus sanguis; qui sanè

ab-

abſolutè neceſſarius eſt, vt ſemen maſculinum diſſoluat, & ad putredinem promoueat, ex quo in ſanguinem vertitur, vnde corpus organizatur, & ad vitales operationes diſponitur. Opinor equidem, Dæmones virile ſemen raptum, vtero muliebri committere, & motà quàdam titillatione, ac pruritu, menſtruale muliebre elicere poſſe, vnde Dæmones incubi: Attamen extra mulieris vterum ſobolefcere poſſe, non iudico, ſed eſſe omninò neceſſariã cooperationem animæ matris, quam nulla vis naturalis ſupplere valeat. Quod ſiquis velit ſolam accidentalem ſeminis diſpoſitionem ſufficere, ad promouendum ſemen in ſtatum perfectũ, neque ad hoc neceſſariam eſſe fœmineã vterum; tunc ille fateatur neceſſe eſt, poſſe & à Dæmone hominem arte naturali produci. Quod tamen ſine ſcelere, & contra Diuinam legem fieri poſſe omninò nego. Ita balneum ex humano infantum ſanguine Magno Conſtantino parandum pro lepræ curatione, non niſi ſcelere fieri poterat;

attamen paratum naturaliter restituere forsan poterat valetudinem. Quo fit, vt multa facta teneant, quæ fieri prohibentur.

Vt igitur vnde digressi sumus reuertamur, Arnoldus Philosophus erat, Theologus, ac Medicus summus, vt eius Coetaneus Ioannes Andreas de ipso fatetur, optimè ergo nouerat seminum differentias, ac vires, quare non credendum nesciisse ad humanam generationem requiri actualem vtriusque sexus commistionem, quæ cum fieri impossibile sit, ipsis non existentibus agentibus, ac seminibus necessarijs, impossibile pariter opinatum esse credendum, hominem solo Chymico artificio posse generari.

Docuisse tamen poterat Arnoldus, aut alius quispiã Philosophos, vt Cornelius Celsus; si omnia haberi possint, animalium principia, debità commistione composita, debito fota calore, debitis ad hoc instrumentorum naturalium vicarijs, posse artificialiter huiuscemodi animalia produci, etiam extra

debitum, siue assuetum naturæ locum; idquè propterea, vt nouerint rerum naturalium Vestigatores, ad omnia opera naturalia requiri, ac sufficere, semen masculinum, siue activum; humidum menstruale, seminis dissolutivum, non destructivum, ac corruptivum, quæ debito vasi imposita, nullà alià re indigeant, nisi vt naturali foueantur calore, ad hoc, vt perficiantur. Ideò Morienus forsan Lapidē assimilauit generationi hominis, nam in eius opificio, habito semine auri, & aquà Mercuriali, quam menstrualem indigetant Sapientes, vbi debito imposita fuerint vasi, tunc absque omni sophistica sublimatione, solutione, calcinatione, elementorum diuisione, rectificatione, reconiunctione, assatione, fixatione, totum opus perficitur à Natura. Fusiùs autem hæc propterea disserui, vt excuser à responsione iteratæ digressionis Antagonistæ, contra hanc eius introductam Andropotechniam; ita enim eā appellat, & execratur, vt Arnoldi impietatem notet, ac propterea indignū

probet, qui Lapidis agnitionem habuerit; & cum eius doctrinam de Physici Arcani opificio impugnare nequeat rationibus, pro vt opus habebat, Hominē detestando, & execrando, vnà cum omnibus Chymicis deuouet Diti.

Quò verò Arnoldum magis contemptibilem reddat, eum dicit Magicis artibus fuisse deditum, quia Magicis ligaturis vim naturalem attribuerit, de quo satis superiùs dictum. Addit eum Prophetiæ donum affectasse, ex Francisco Pico, his verbis. *Arnoldus Hispanus, præter ea quæ de futuro Antichristi Aduentu coniectatus fuerat, reuelationem quādam multarum rerum factam adducit.* Hunc Arnoldum eum non fuisse, qui de Chymica scripsit, ex eo liquet, quod Hispanum dicat, cum constet hunc qui floruit tempore Ludouici Bauari, Prouincialem fuisse, cuius frater fuit Petrus de Villanoua, pariter Chymicæ Artis non imperitus, quorum patria, vicus est huius nominis non longè à Montepessulano dissitus, tantorum Virorū famâ celebris, teste Maiero. Quare plu-

plures dicendum est Arnoldos fuisse, & variorum opera, vni tribui, vt sæpè in nomine Authorum consimili errari contingit.

Ab Arnoldo ad Paracelsum descendit, cuius improbos mores, ex famuli profugi, ac proditoris testimonio, autorizat, cum ex Censura S. Ecclesię posset ipsum carpere: Mox Erastum, iuratum hostem Paracelsi, aliosque medicos (à quibus adhuc in viuis agitabatur, & quos vicissim ipse exagitabat, eorum imperitiam accusans) in scenam adducit, & ex eorum testimonio, huius vitam, ac improbos mores, exiguam in Deum pietatem, in veteres medicos reuerentiam detestatur. Quibus omnibus ad nauseam repetitis, & disquisitissimis notis, ad infamiam signatum, tandem in hæc verba concludit. *Quis eum aliquid, siue in Medicina, siuè in Magnæ Artis opere* (Magnam Artem vocat Alchymiam, quam tamen detestatur, sed veritate etiam nolens adactus, venerabilis nominis adornat insigni) *præstitiſſe sibi persuadebit?* Ecce novum argu-

gumentum, novumque, sed ipsi assuetū syllogizandi modum. Paracelsus, omni vitiorum genere scatuit, ergo siue in Arte Magna, siue in Medicina nihil sciuit. Valetne consequentia, ex genere morali, ad genus naturale? Nihil Physicus, cū doctrina morum habet cōmune. Voluntatis est aliud, aliud intellectus obiectum. Potest sanè aliquis, pessimè sese in moribus gerere, & tamen subtilissimè de Natura sentire. Nō fuit sanctus moribus Aristoteles, qui tamē primatum in rerum naturalium cognitione, meritò sibi vendicauit. Potest similiter quispiam, sanctissimis, & incontaminatis esse moribus, & tamen in scientijs prorsùs ignarus; Scientia siquidem inflat, humilitas verò iustificat. Etenim quæ pietatis sunt, & voluntatem cōcernunt, parvulis, hoc est ignaris, Optimisq; ac Religiosis, & Pijs viris reuelantur; Quę verò Sapientiam sapiunt, ignorant ijdem, quominùs inflati scientià, in superbiam incidant, & in laqueos Diaboli. Si Veteres Sapientes recolas, moribus non omninò san-

ctis fuisse cognosces. Nemo Salomone sapientior, sed nemo moribus dissolutior; ipse de se fatetur. Nouit, & Oppositor. Vide Ecclesiastem.


Ex hostibus igitur Paracelsi, de vita & moribus inquisitionem prosequitur; & quos Paracelsus legitimè reiecisset, in exceptione de testibus, ipse in fidem assertorum assumit. Quod si domestica per domesticos probare liceat, quidam Paracelsi famulus, Franciscus nomine de eo fatetur, aliquot argenti lotones in aurum se præsente vertisse, quos aurifabro vendiderit. Ita Maierus in vita Paracelsi; Ergo vtut malus ac scelestus, in Arte Magna multum potuit.

Sed esto, scelestis non dandam esse rerum naturalium notitiam; quid rogo scelerum in Hermete, Gebro, Morieno, Alberto Magno, Baulio, Ricardo, Rosino, Zachario, Petro Bono, alijsq; quamplurimis inuenisti; vt ijs scientia hæc fuerit deneganda? Non soli Lullius, Paracelsus, Arnoldus, Rupicissa fuère Chymici, & Antesignani, sed alij,

iam

iam dictis longè vetustiores, & probi, ac Deum timentes Viri. Plerique, Deũ colendum, Pietatem sectandam, Proximum amandum, auaritiam, luxum, vanamgloriam, superbiam, fugienda predicant; Ergo Viri Pij, ac Deum timẽtes, sunt Coriphei Chymicorum.

Sed cõcedatur homines esse impios; an propterea naturalis Sciẽtia non erit vera? An Paracelsus aliquid sciuerit in Medicina, eius Epitaphium Salisburgi luculenter ostendit. An in Physicis, eius scripta, quæ ipse Autor agnoscit, admiratur, & recipit; Hic namque primus extitit, qui Sal, Sulphur, & Mercurium, rerum omnium immediata principia, elucidauit, & docuit.



CAP.

CAP. X.

Examinantur contenta in Authoris Capite IIX de Dolis, ac Deceptionibus Alchymiſtarum; vbi Lapidis magiſterium, iuxtà Philoſophorum placitum, quoad licet aperitur.

PSeudochymicorum, ac deceptorũ fraudes, hoc loco recenſet, & ſceleſtorum quorundam hominum deceptorias machinationes irridet. Meritò ſanè; Scio etenim tales reperiri, quorũ artes adeò ſcitè recenſet, ac ſi eoſdem in exercitio vidiſſet. An ergo propterea Artis notitia impoſſibilis, quia deceptores reperiuntur? an Theologia damnanda, quoniam aliqui indè profecti ſunt Hęretici? Medicina, quia Circumforanei? Sacramentalia, quia impij ac Sacrilegi Necromantes, ijs abutuntur? Vera Aſtrologia, quia Arioli, & Genethliaci vanas ſuas diuinationes inde hauriunt? Non ego cenſeo vllum ſanæ mentis, huic aſſertioni adſtipulaturum.

Per

Per has tamen nebulonum vanitates viam ſibi ſternit repetito dictorum epilogo, quaſi iam ſit in confeſſo Artis impoſſibilitas,ex moribus & modo operandi, a ſe iam ante enarrato, quem omninò falſum eſſe fusè oſtendimus, ſiquidem operationes, quas retulit de ſublimationibus , calcinationibus, deſtillationibus, aliiſque à Philoſophis allegoricè relatis, ad verbum capiens, ac ſemetipſum decipiẽs, alios in eundem erroris barathrum trahere contendit: quas tamen operationes in Magnæ Artis opere nullo modò dari ſatis ſuperq; docuimus; ſi quidem Natura iis nequaquàm utitur; ideòq;Philoſophus,quippe eiuſdem miniſter,aliò eam trahere non conuenit, niſi quò ipſa propriâ virtute contendit. Solummodò igitur ei ſubminiſtrantur naturalia principia, quibus diſpoſitis a Sapiente Chymico, & Artiſtâ, nullâ manuali operatione adhibitâ, ipſa Natura opus perficit.

Verum quidem eſt, Operantem manuali operatione vti,ad eſtrahendum à

pro-

propriâ minerâ Mercurio Philoſophico, ſeu Aquâ minerali, metallorũ perfectorum diſſolutiuâ, quam pariter erutam perficere, & ab excrementis ſecernere, ac liberare, ſine manuali operatione non poteſt. Eam igitur primùm in duas partes diuidit, ut terram, & aquam ſeorſim habeat, in quibus, ignis, & aer, inuiſibiliter reſident: hæc Principia, duplici ſcatent impuritate, & Aqueâ humiditate, & Terreâ fœculentiâ; ita ut aqueitas in aqua, in terra terreitas ſuperabundans, deliteſcant, quæ duo opportet per Magiſterium ſeparari. Hoc opus primum, opus Mercurij, & terræ præparatio dicitur, in qua omnis labor, omnis ſolertia, omne arcanum abſconditur. In hanc Terram, Aurum, non in quantitate, vt ternis vncijs, (quemadmodum ex Baraudo ſupra oſtendit Author) ſed in quàuis modicâ quantitate, proportione tamen terræ ſeruatâ, ſeritur; in qua operatione Naturam imitatur; quoniã ſpittamali agro tritici modium commiſeris, prorsùs nihil efficies; vel etenim

enim ſuffocatur ſemen, vel nimium terræ virtus exhauritur, adeòut nequeat ſuccum, & alimentum, ſemini ſubminiſtrare; proindeque nequit ſemen debitas radices agere.

Aurum igitur ſoluitur per ſe, nullo labore, tanquam glacies in aqua, leni calore, & ita ſucceſſiuè putreſcit; indè aquæ inſeparabiliter coniungitur, eamque ſenſim coagulat, & per varias colorum alternationes, in firmam albedinem figit, continuatoque ignis regimine, ad ſummam citrinitatem, vnà cum ipſa perducitur.

Hàc operatione ſubtiliatur Aurum, & eius augetur tinctura; quare & tingere poteſt, & ob ſui tenuitatem, in omnem Mercurialem ſubſtantiam diffundi, & ab ea more magiſteriorum Spagyricorum, omnem impuritatem, veluti per præcipitationem, ſecernere.

Quod ſi in noua aqua hic puluis modò confectus ſoluatur, ſolutuſq; iterum putreſcat, ſubtilietur, ac figatur, tingitur magis, & maiorem efficaciam acquirit, quod rem attentiùs conſide-

rans,

rans, non difficulter intelliget.

Accipe exemplum in ſale communi, quod, quò ſæpiùs in aqua vulgari diſſoluitur, eò purius, ac ſubtilius euadit; quod ipſum præſtat vitriolum, & nitrum(quod Autoré,per deſtillationem purgari, falsò opinatum , infra oſtendemus) immò nitrum, quò puriùs eſt, ac puriori ſulphuri vnitur, puluis tormentarius longè maiorum virium euadit, eòque magis igniendi vires acquirit. Quare ſi quis, ex floribus ſulphuris, & nitro defœcatiſsimo, puluerem pyrium confecerit,omnem puluerem in eadem doſi adhibitum, viribus, & efficacià ſuperabit.

Si porrò ſal in aquam fortem, in qua metallum ſolutum continetur immiſeris, illud ſegregabit ex aqua, & ad fundum vaſis prçcipitabit:eàdem prorsùs ratione, puluis de quo paulò ante fuit ſermo, ſi in metallum liquatum impurum immittatur, ſcorias, & impuritates ſegregabit, & ſolam Mercurialem ſubſtantiam puram nactus, eam tinget, ac figet.

Similitudinem in Regulo Antimonij conficiendo accipito. Cum ei immiſtum tartarum, & nitrum in ignitum tigillum inieceris, tunc ſeparantur ſcoriæ Antimoniales, & Regulus purus præcipitatur ad fundum. Aliam addo: Cum Aurum in Antimonio, id purgaturus fundis, ſi ferrum immiſeris, vel eiuſdem ramenta, ea amplectitur Antimonium, & Aurum purum dimittit. Non abſimili ratione Mercurius in aqua forti ſolutus, immiſſis Saturni ramentis, vivus ex ipſa ſecernitur; Quibus exemplis clarè oſtenditur, quomodo puluis Aurificus in imperfectū metallum immiſſus, illud purgando perficiat.

Ecce quomodo in labore Chymico, nulla illa operationum monſtra, quæ Antagoniſta recenſet ingrediuntur; nulla auri, ſeu argenti viui tormenta, quod perperàm ad opus aſſumi arbitratur. Idcircò vanitas illa, quam is ex inutilibus laboribus in Lapidis opificiū inducit, in vanum, & vanè arguentem reincidit. Quod verò aſſerit, res inanimatas de ſpecie in ſpeciem, toto Cælo

lo diuersas in infinitum mutari, ac multiplicari, Naturæ esse contrarium, quod neque ex parte agentis, neque ex parte patientis vllam in se vegetandi virtutem habet, vt huic iteratæ obiectioni finaliter satisfaciam, iterum, iterumque respondeo.

Non esse Metalla toto Cœlo, specie Physicà diuersa, neque constitui in specie diuersà per formam substantialem intrinsecè diuersam, sed esse omnia ex eàdem aquà Mercuriali, tanquam eorum immediato principio, quæ in varias species discerpitur, penes impuritates extrinsecùs accedentes, quibus ablatis, omnia esse intrinsecè, aurum, vel argentum: cum verò in aquæ coagulatione, accessit Sulphur fœtidum, petrosum, impurum, itaut variè Mercurium affecerit, impura exoriuntur Metalla, quibus ad auream, vel argenteam formam nil aliud desideratur, quàm impuritatum remotio, quà ingressus denegatur igni, quominùs inter partes, & partes Mercurialis aquæ ingrediens, easdem in partes dissipet.

Quod si Mercurius albo duntaxat sulphure fuerit imbutus, in Argentum abit; In Aurum, si rubro.

Cum igitur Lapidis ignis virtute polleat segregandi impuritates easdem, & ampliori, ac exuberante tincturà sit ipse dotatus, quemadmodum in genere vegetabilium crocus, ita hic in genere metallico, aquam Mercurialem, citrino imbuit colore. Fixùm igitur ac tinctum redditur, puritate, subtilitate, ac coctione; quapropter eam substantiam, quæ omninò in Naturà est eadem, non toto Cœlo diuersa, purgat, purgatam figit; fixam tingit argenteo vel aureo colore. Et hic est transmutationis modus, non omninò à rerum Naturà remotus, quem si Opponens intellexisset, mitiùs opinor egisset. De vi verò vegetatiua, quoniam abundè iam dictum breuitati studens non repeto, quò nauseabundam prolixitatem deuitem.

Instat; Impossibile esse vitam corporibus mortuis tribuere: Ostendimus suprà, quam habeant vitam Mineralia, & quale in eis sit agens; Nimirum ipsum

sul-

Sulphur aureum, vel argenteum, ad igneam ſubtilitatem perductum, quo aduruntur, & ſegregantur impuritates extraneæ in materia Mercuriali imperfectorum exiſtentes, quibus ſemotis conſequitur puritas, inde fixio, & tinctura. Ita ſeſe habent omnia aduſtibilia, reſpectu ignis, qui omnibus ijs remotis, quæ puritatem impediunt in vitrificando, ſalia in incombuſtibile, & incorruptibile vitrum perducit; Neque enim magis à fixitate diſtant imperfecta Metalla, quàm herbæ, aut alia vegetabilia, e quorum cineribus vitra cõficiuntur. Immò ipſa imperfecta metalla ignis vi reducũtur in Amauſia, ratione ſalium extraneorũ, quæ in ipſis exiſtunt; Argẽtum verò, & Aurum, ratione ſalium, aut ſpirituum, qui ipſis ab extrinſeco adduntur, dum vertuntur in calcem, ſine quibus in vitrum nequàquam abirent.

Dicat quæſo mihi Aduerſarius, quid magis ab altero differat, an vitrum à metallo, an à metallo metallum? Profectò nemo oculis pollens non videt,

aut mentis compos non aduertit, magis vitrum à metallo differre; cum in eo malleabilitas, aut ductilitas nulla reperiatur, quæ eſt metallici corporis ſpecifica differentia; eſt namque metallum corpus igni liquabile, malleo extenſibile quo differt, & à medijs mineralibus, quæ ignis liquationem admittũt, & à vitro. Vt ergo, ignis nõ eſt animatus, & tamen res in diuerſas ſpecie tranſmutat, & in infinitum auget ipſas, & ipſe augetur, additâ materiâ combuſtibili: ſimiliter ignis Lapidis, & Metalla perficit, & ea perficiendo multiplicat, additâ materiâ metallicâ.

Nugacia ſunt, quæ ſequuntur de repetita ignium aquarumque rodentium operatione, ignium gradibus, manipulationum varietate, cum iam toties fuerint exploſa, tanquam eà, quæ Magiſterium Phyſicum nullà ratione ingrediũtur, cum operationes ad id ſint omnes naturales.

Deſinat ergo mirari, & obſtupeſcere, de ijs, quæ ſunt quotidiana, quomodo homines lucri cauſâ, cum alioquin

virtute nequeant, fraudibus Popello imponant; hoc non Alchymia tantummodo, sed in omnibus euenit, & in Hypocrisia multò magis, vbi Sanctitatis specie mentità, fictisque miraculis, simplicium mentes decipiuntur. Quot sub Hæremitico habitu vagantes, miracula fingunt quotidianà imposturà? Non ego historiolas ridiculas recensebo, de ijs qui Oua in arundinibus circũferunt, vt eorum multiplicationem rusticulis exhibeant; Non alia innumera quæ abundè Flagellum Vagantium recenset. Quot Medicorum specie decipiunt incautos, silicum pulueres, pro medicamentis aliasq; consimiles venditantes? Quot Astrologos mentiti, Fatis, plebem dementant? Non ex ignaris, ac nebulonibus decet Philosophos emetiri.

Ex his liquet, quàm parum scitè ex hoc argumento Lapidis vanitatem deducat. Ita enim arguere videtur: Multi deceptores reperiuntur, qui Alchymistas iactantes spe lucri, incautos Auri cupidos fallunt, ergo Lapis Philoso-

phorum est impossibilis. O bellam consequentiam! Multi sunt qui Sanctitatis specie, præstigijs, fictisque miraculis plebem fallunt, ergo Religio impia, & pietas impossibilis?

Sequentis Capitis inane argumentum facile fuerit refellere, in quo Dæmonem, se vtplurimùm Alchymistis adiungere, ostendere nititur. De ijs siquidem Alchymistis loquitur, qui ignari rerum, Philosophiæ rudes, Naturalis virtutis inscij, Auro inhiantes, semetipsos deperdunt. Non enim hoc nego, aliquos reperiri adeò mentis impotes, qui cum id assequi nequeant, quod ignorant, ad artes illicitas, in subsidium confugiant: Imò huiusmodi homunciones in omni genere existere, non vertam in dubium; & maximè in Religionis negotio, cuius causa est ingenij debilitas, & melancholia, quibus facilè Phantasmata fingunt, & melancholicis cogitationibus offuscati, pronos se dedunt illusionibus. Cacodæmones idcircò, non modò Alchymistis ignaris, sed omnibus simplicioribus viris,

ris machinantur insidias, & Satanas quoad sibi licet, in Angelum lucis sese transformat; ideò nullà occasione neglectà, vt hominum leuitatem decipiat, artibus mille, mille machinamentis adoritur; ideòque præsto adest ijs, qui imbecillitate laborant; & cum aduertit aliquos anxiè quidpiam cupientes ad quod pertingere nequeunt, protinùs opem exhibet, vt ipsos in laqueos attrahens, de eorum perditione lætetur. En igitur aliud argumentum.

Diabolus se vtplurimum adiungit, & immiscet, rudibus Alchymistis Auri cupidis, ergo lapis Philosophorum est impostura. Accipe simile.

Diabolus se vtplurimum immiscet simplicioribus Religiosis, falsis reuelationibus, & apparitionibus, & fictis visionibus, de qua re, vitæ SS. PP. nil habent communiùs, ergo Religio est impia? Religiosa disciplina, vita Anacoretarum impostura? Caue à consequentia.

Hoc argumentum formatur, in omni omninò vitæ genere, in omni profes-

ſione cuiuſvis artis, etiam mechanicæ, quorum plures in deſperationem adducti, Diabolum comitem habuere. Quod ſi hiſtoriolas ac fabellas recitare inſtituerem, omninò à ſcopo deflecterem. Faciant id, quibus vnus animus eſt infarciendi volumina.

CAP. XI.

Alchymia Sophiſtica ab Authore propoſita expenditur: vbi varia eius aſſerta confutantur. Simulque licita eius Alchymia examinatur, & de varijs augumentis ab ipſo approbatis agitur, deque eorum vanitate, ac veritate diſſeritur.

VT peritum ſe Alchymiſtam exhibeat impugnans Author; cum nihil veritatis in Philoſophia reperiri aſſeruerit, ad Sophiſticam conuertitur, & fruſtraneos Sophiſtarum conatus, quos tamen ſupra ex Paracelſo nimis abunde retulimus, irritos labores in

fucatis metallis proponit, docetque. Quos ego non inuitus concedo, iam etenim ab initio proposui ex Magno Alberto, omnes impostores, ac deceptores esse, qui seruatà eadem specie metalli, aureo argenteovè colore, metalla imbuere nituntur: Quare cum fruſtrà tentent Alchymistæ metalla transmutare, nisi ea primùm in suam primã materiam redegerint, omnia alia opera, illicita ac damnabilia, imò de facto damnata, non diffiteor, neque horum indignos conatus, vt Philosophicos probo, sed deteſtor.

Neque tamen omnes modos referam, quibus vel nebulones decipiant, vel creduli, ac faciles se deceptionibus reddant obnoxios, sunt enim innumeri, & infinitæ viæ quas deceptores tentant, quibus cum nulli vnquam ego nauauerim operam, fateor illas prorsùs ignorare. Author tamen plures refert, in quibus etiam non omninò probatum Philosophandi modum animaduertens, hunc pariter examinabo, & vel in ipsis sophiſticis non omnia veritati

titati conformia demonſtrabo. Quoniam verò vel in his plura contra Philoſophos arguit, ea pariter expendemus.

Primum igitur quod obijcit, continetur his verbis. *Quis Philoſophiæ naturalis adeò expers eſt, qui neſciat, materiã, formam quamcumque recipere non poſſe, niſi apta ſit, & conuenientem habeat diſpoſitionem, ad talem, & talem formam ſuſcipiendam. Si enim Natura, non habuit virtutem ſufficientem, dum generabat Cuprum, Ferrũ, Plumbum, & Mercurium, ad Auri formam ei introducendam, quomodo forma, ſeu anima Auri (quæ tamen forma à corpore ſeparata dici non poteſt, niſi pueriliter in Philoſophia nugari velimus) puluis inquam ille, quem animam dicunt Auri, animam inquam oppidò corpulentam, quomodo in metalla, deſerto ſubiecto proprio, in Plumbum, Stannum, Ferrum, Cuprum, quorum iam vnumquodque propriâ formâ conſtitutum eſt introduci queat; quis talem Philoſophiam concipiat? an non iam duæ formæ erunt, in eodem ſubiecto? quod abſurdum ſi negent, dicant quæſo, quidnam de anima plumbi actum ſit:*

for-

forsam annihilatam esse dices; sed ne ignorantiam supinam reueles, vide quid dicas. Si autem forma in puluere subiectata separata fuit, anne subiectum sine forma subsistere posse existimabis? sed & hoc æquale priori absurdum est. Vides igitur quàm stultè Philosophantur ij, qui talia ex Asininà quàdam ignorantià, imperitis persuadere contendunt. Hæc ille.

Rogo ego ipsum Antagonistam, quibuscum negotium esse sibi opinetur, an cum Philosophis, an cum rudibus, ac imperitis idiotis, qui eius volumina, ex Cuprearum Iconũ venustate inspiciunt potiùs ac admirantur, quàm vt vel legant, vel intelligant? Si cum imperitis, ijs facile suadebit huiuscemodi sensus habuisse veros Chymicos: Quod si cum Philosophis, quis ei dixit, aut duas formas inesse eidem subiecto, aut formam sine subiecto, aut animam Auri, ab eius corpore separari? Instabo primùm in quotidianis generationum experimentis, mox inutile, ac futile argumentum resoluam.

Cum ignis subiectum quodpiam cõbu-

bustibile in ignem vertit, rogo num duæ formæ sint v. g. in ligno: si sunt, nil mirum erit, idem in Flumbo, Ferro, Cupro, Stanno reperiri. Sed quis stultus id asserat? Si non sunt, dicat mihi, quo anima ligni se contulerit, cum ignis lignum absumeret? quo anima Ferri, Plũbi, Stanni, Cupri, cum vitrificaretur, deperijt? an eius substantia vaga, conseruatur in aura, Pithagoricà methempsychosi in novum metallum reditura? Vel in aliud migratura corpus? An Platonico more in Ideas recessit? Sane si perijsse dixeris, & annihilatam, caue ne supinam ac Asininam ignorantiam prodas.

Dico igitur, Philosophos nullam Auri animam extrahere, & qui huiuscemodi dicit, stultè loquitur; tam enim desipiunt, qui totum Aurum, quàm qui aliquam eius partem, aut avulsam tincturam, pro Magisterio adhibendam opinantur. Dixi superiori capite quid sit, quod Metalla in Aurum conuertit; quomodo id fieri contingat, quidnam sit agens, quid passum.

Sed Opponens ipſe, ſuimet ipſius oblitus id docet; etenim vnam eandemque Metallorum materiam eſſe docet, & differre Metalla penes impuritatum acceſſionem, quæ ſi ablatæ fuerint, cum nulla ſuperſit vlteriùs differentiæ ratio, vtique vnum erunt in ſpecie. Non igitur alia eſt anima Plumbi, alia Cupri, ſed Sulphur impurũ diuerſi generis, & Mercurius crudus, & mali ſaporis, hanc differentiam efficiunt; idipſum de cæteris Metallis dicendũ: Quare maturato Mercurio, ſegregato Sulphure impuro, aut petroſo, protinùs argentum aut aurum erit in promptu.

Puluis porrò ille, quo hæc depuratio perficitur, puluis eſt Phyſicus, Ens reale, compoſitus ex materia, & forma; ſed materià omninò tenui, ſubtili, ac purà; & formà omninò efficaci; ignea quippe eſt, & quæ in eàdem materià puriſſimà multiplicata, vim habet igneã ſegregandi omnes impuritates, à metallo imperfecto, tingendi, ac figendi.

Sed hoc eſſe facile cognitu, neque mi-

mirum, quod hic puluis impuritates segreget, non difficilè erit ostendere, ex ijs quę de Antimonij Regulo diximus, à quo puluis ex nitro, & tartaro segregat impuritates,& in Regulum purgat, Argento colore non absimile. Quid si iniecta materia Salino sulphureo Mercurialis, ab ipso Autore toties nominata, summè purgata, id ipsum in metallis impuris præstet, vt scorias præcipitet? Quid in contrarium occurrit? An non ab omni imperfecto metallo possit Regulus separari, impuritatibus, aut sejunctis, aut absumptis?

Post igitur vanã animæ aureæ extractionẽ, ad alia nõ minus inepta opera se conuertit, nimirum, partẽ cũ parte, quà ęquam partem argenti ac Auri coniungunt sophistæ, vt varijs materiebus, cæmentis, aut aquis, ad auream fixitatem, ac tincturam reducant. Item alia consimilia augmenta, quorum plura refert, & quæ Paracelsus supra in suo discursu ex Arnoldo, vt frustranea enumerauit, de quibus etiã Kunnert agit, sunt meræ ineptiæ, quare cum à nullu

Phi-

Philoſophorum admittantur, in caſsùm contra illos adducit; quod ſi contra ſophiſtas agit, ego conſentio. Immò inter hæc ſunt nonnulla, quæ probat, quę tamen ſunt falſiſſima, & nugacia.

Ita ſe habet illa Mercurij fixatio, quam ſe à quodam Principe Viro habuiſſe, & à Chymicis peritiſſimis profitetur, quos tacito nomine citat, impoſtorum more; vbi magnam rerum Chymicàrum imperitiam apèrit, vbi etenim Naturæ vires agnoſceret, neutiquam Aurificium, quod licitum aſſerit, pro tali habuiſſet. Magno igitur ſtudio Magiſterium exhibet, pro licito Aurificio, quo Hydrargirum in Argentum verti poſſe contendit, cuius furnum, ignes, gradus adeò diligenter delineatos exponit, vt videatur ipſe dediſſe huic operam; vanum tamen eſſe laborem huiuſmodi, in quo aquis acribus, oleis vitrioli, ſalibus, vis tribuitur argẽtum vivum congelandi (vt dicunt) in perfectum metallum, omnes docent. Quicumque dicit recipe, dicit decipe, quoniam vnum eſt rẹcipe. Attamen

argentum in tali labore reperiri omninò censet augmentatum, quod an verum sit perpendamus.

Assumit igitur Hydrargyri vncias duodecim; Aquæ fortis vncias octo, Argenti vncias tres; quibus superaddit olei Vitrioli lotones octo, siue vncias quatuor, ex quibus post decoctionem, argenti libram docet extrahi, quare vncias nouem incrementi argentei accessisse opportet; quarum 9. in vsum adhibet, tres ad nouum opus reseruat. Hoccinè licitum Chymicum Magisterium? Ne videatur in opinionẽ deuenisse metallicæ transmutationis, seipsum corrigit, aitque incrementum illud, non ex Hydrargiro fixato accessisse, sed ex argenteis ramentis, quæ in materialibus assumptis inspersa latitabant.

Ponderemus igitur nouem vnciarũ argenti incrementum, quod fatetur licitè euenisse. Argentum vivum per ipsum non est conuersum in Argentum, igitur vncias nouem Argenti extitisse opportet in Aquæ fortis vncijs 8, & olei

olei Vitrioli vncijs 4, itaque ex vncijs 12 horum liquorum ramenta argentea tot eduxisti, quæ vncias 9 conficiunt Argenti. Profectò, si Aqua fortis cohobetur, siue iterum destilletur, nihil omninò remanet, nisi ad summum aliquid salis volatilis, qui reliquus est, ex destillatione; Quod si velis inibi volatilia esse, & ex materialibus ascendisse, e quibus Aqua fortis exstillatur, necesse est fuerint in nitro, aut alumine. Sed quis vnquam somniauit, in ijs Argentũ latere? Sin igitur ex Aqua forti nó prodiere, igitur ex oleo Vitrioli. Atqui hoc fuit non nisi vnciæ quatuor, ergo non poterant cótinere vncias 9 Argẽti. Quid ad hæc? Igitur in Mercurij libra fuerint Argenti illæ vncie 9; at in Mercurio quis vnquàm censuit delitescere Argentum? Quod si tamen velis ita esse, cum Mercurius igni exponitur, totus euolat, ergo & argentea ramenta, simul in auras feruntur; sunt ergo volatiles, ergo non Argenteæ, namq; Argentum fixum est metallum. Si demum replices esse fixabiles, ignis tum

aquarum, tum olei, tum aduentitij culinaris vigore, ergo multo magis in imperfectis metallis, poterit pars aliqua figi. Sed nescio an consequenter hoc pacto differere arbitrabitur, aut veritati conforme.

Adde aliud non minùs imperitum in hoc Magisterio dogma. Elichnium Albestinum, pro lampade conficienda assumit, vt incombustibile efficiat, quia cum hoc vnctuoso aliquo corpore illitum accenditur, deflagrante pinguedine, ipsum illæsum persistat. Sed non satis est expertus ipsum Asbestum si .n. 8, vel 10 horis in oleo accensum detineatur, tandem comburitur, & fungum ad instar aliorum combustibilium efformat, & carbone in cineres dissoluitur. Hoc igitur primùm erat examinandum, quod est Physicum, antequam ad licitum suum Magisterium descenderet, quod quanti sit, Lanx ostendit.

Aliud non dissimile Magisterium licitum habet, quo ex Argenti vncià, purissimi Auri drachmam elici posse fatetur. Asserit tamen ei inextitisse. Magnum

gnum professò opus. Omnes Docimastici id norũt. Sed rogo, an post hanc separationẽ, iterũ alia drachma Auri sepa rari possit? Si dicas, ergo nõ inerat Aurũ Argento; alioquin totũ Argentum Aurum fuisse opportet, quoniam separatà vnà drachmà Auri, alia iterum separatur, ergo, donec nil amplius Argenti sit reliquũ, quod separetur; Omne enim finitum ablatione finiti demùm absumitur. Si verò non segregatur Aurum, Phy. post primam segregationem, dono tibi 1. t. tuum licitum Magisterium, inutile si- 37. quidem; Si .n. cõtigerit ad opus Argentum accipi, èquo Aurum iam antea separatum fuerit, infelix Operans laborabit in cassum. En quomodo licitum eius Magisterium euanuit, qui veri Magisterij possibilitatem exagitat.

Reliquos omnes processus, tamquã nugaces, nihili facio, quibus ne vmbra quidem veritatis insit, & circumforaneorum vanitates omnes contineant, quare immeritò à viro seria docente assumi nequibant, maximè cum omnes in Paracelsi discursu reijciantur. Ad

quid ergo eorum operandi modum inanem repetere?

Processum colophonis loco, quem Paracelsi dicit elucidatum à se proponit, quem in Vitriolo, quod ex eius verbis supra relatis eruit, consistere censet. Hunc dein prolixè recitatum confutat, quia omnium Philosophorum consensu prima Magisterij materia est Mercurius, non vulgi, non Vitriolum, & siquod est aliud minerale, quod & ipse Paracelsus affirmat, refellens eos omnes, qui in mineralibus laborant. Si ergo Paracelsus negat à mineralibus Mercurium Philosophorum elici, quis sanæ mentis persistat, eum Vitriolum vulgare pro Magisterij materia elegisse? Dicit Author, nota sibi arte id eruisse e verbis Paracelsi. O Artem fallacem, quæ occultas hominum cogitationes, ex vocibus alienis in apertum deducere se posse præsumit! Ecquid eorum, quæ in processu allegato legũtur, e Vitriolo vulgari vnquam euenire posse opinatur? nequàquàm profectò; Quare tale vitriolum neutiquam Paracelsus

cellus vsurpauit, quod Author, aut verè credidit, aut fictè se opinari recenset.

Iterum tandem in Paracelsum inuehitur, si quid aliud Vitrioli loco pro Magisterio præscripto vsurpauit, asserens impostorum proprium esse, aliud verbis inuoluere, aliud mente sentire. Sed non imponit, qui profitetur expressè, se Parabolicè loqui, occultare materiã, reticere magisterium verum: Qui igitur non assequitur, suspendat ab opere manus, linguam à maledicto, nam & ei nihil imponit, neque pro documento inutili lucrum exposcit, neque ad opus inuitat: quinimmò occultè se loqui velle profitetur, in odium indignorum, cũ non sint Margaritæ ante porcos proijciendæ; Qui ergo adhuc præmonitus Vulgare Vitriolum, aut minerale vllũ, censet materiam exhibere posse; pro lapide conficiendo, & Vitriolum nihilominùs adhibere nititur, cur imputat Philosopho, quod eum seduxerit? Reat igitur, omnes processus vanos esse; Philosophos, de ijs loqui similitudi-

nariè; Materiam aliquando èxpressis verbis nominare, sed non in processibus ordinatis. Non tamen esse impostores, quia præmonent operantes, & pro intelligentibus scribunt, non pro ignaris.

CAP. XII.

Expenduntur dogmata Capitis III Libri XII Sec. 45 in quo, positis quibusdam generalibus principijs, varia experimenta deducuntur, & ponderantur; vbi de Igne, Lumine, ac Diaphano.

VNiuersalem quandam Metheorologicam doctrinam, tradit hoc capite, quam, quia multorum dogmatum refert originem, attentiùs oportet considerare. Itaque eius verba ita se habent initio capitis adnotati.

Est in rerum natura quidem intrinsecus principiorum cuiusvis corporis motus, quem non incongruè fermētationem appellare possumus,

ſumus, cum tendentia ad perfectionem eiuſmodi corporis, vel ob mutationem ad aliud: quod vel maximè in elementorum motionum varietatè eluceſcit, quæ vti ex corpuſculis minimis conſtat, ita quoque, vel propria Naturæ impetu, aut occaſionaliter in motum cõcitantur, ſe mirum in modum exagitant, & exagitantur, ſe inuicem diducunt, & inuolvunt: quæ Naturæ benignitate, ſubtilitatem conſecutæ, mox auolare nituntur, ſed à craſſioribus reticulis, ne prorsùs auolare queant, detinentur: interim craſſiores, a ſubtilibus, mirà luctà in tantum inciduntur, attenuanturque, donec vnà cum ſubtilioribus exaltatæ, euectæque, aut debitam perfectionem acquirant, aut alterationes à Natura deſignatas compleant, quæ eſt totius Meibeorologiæ ſumma: Hinc enim, Raritas, Denſitas, Opacitas, Perſpicuitas, Flacciditas, Liquiditas, Fixitas; hinc per humidum & ſiccum mollicies, aſperitas, flexibilitas, ductilitaſque rerum omnium originem habet.

Hæc doctrina idcircò præmittitur, vt oſtendatur, quomodò in ſegregatione metallorum, omnia homogenea coeant, Heterogenea ſeparentur; &

cum

cum plura, ac diuersa in Natura, casuali mistione coagulata coeant, in dissolutione singula ad propria loca redeuntia, similia similibus copulentur.

Ideò Athomos, non Democriticas inquit, sed reales, ac corpulentiores, quę Microscopio, vel vitro oculari crassiori cerni possunt, in corpus crassius coagmentari. Ita salia, salibus iunguntur, metallica metallicis, & eiusdem metalli species ad speciem confugere.

Hæc doctrina quia Philosophiam sapit, meritò altiùs est consideranda; quia etsi multa vera, ac propè omnia contineat veritati consona, effectuum tamen immediatas, ac proprias causas non reddit, & siquid reddit, non omninò satisfacit.

Primò igitur dicit, intrinsecum Naturæ motum, non incongruè *fermentationem* dici, qui fit cum tendentia ad perfectionem eiusmodi corporis. Hæc non benè dici inde liquet, quia omnis fermentatio est rei corruptio, corruptio autem non est perfectio, neq; tendentia ad perfectionem eiusdem cor-

poris,

poris, sed potiùs tendentia ad segregationem partium eiusdem, & consequenter totalem mutationem. Ita cum farina aquâ, aut àceto mista, fermentatur, corrumpitur, neque inde perficitur; Vnde & D. Paulus asserit, modicũ fermenti, totam massam corrumpere. Cum igitur Spagyrici Quintas essentias è corporibus elicere nituntur, ea fermentant: fermentari etenim a feruendo dicitur, quia feruore, seu calore res putrescit, & e putrefacto faciliùs separantur principia, siquidem per eam partes ligatæ à Natura dissolvuntur. Non igitur motus hic est ad perfectionem, neque per hunc res ad perfectionem tendit, sed ad corruptionem; & destructionem.

Huius lapsus causam esse opinor, quia cum dicant Philosophi fermentũ tribuere perfectionem Lapidi, censuit fermentationem esse perfectionem, seu motum ad perfectionem eiusdem corporis, siquidem & panis, cum fermentatur, perficitur. Attamen sciendum est, fermentationem, vt dixi, esse cor-

ruptionem rei, quare partes diſſolvuntur, quæ erant vnitæ, in qua diſſolutione materia ſpongioſa efficitur, ac ideò panis fermentatus ſpongioſus euadit, quod azymo non contingit. Cum igitur Lapis fermentatus putreſcit, cum Aurum, tum Philoſophicus Mercurius diſſolvuntur, quà diſſolutione factà, partes continuato calore iterum miſcentur, & quia homogenea ſunt, & eiuſdem naturæ, iterum in vnum corpus coaleſcunt, in qua operatione, partes diſſolutæ attenuantur, & inde fit maſſa ſubtilior, quæ à perfectiori, & actiuiore parte, ſuam perfectionem aſſumit. Dicitur autem Aurum fermentum fermenti, quia cum activum ſit, ac Sulphur fixum, perfectumq; contineat, aquam Mercurialem in ſuam naturam conuertit, & ad ſui quodammodò ſaporem eandem reducit.

Addit hoc eluceſcere in elementariarum motionum varietate. Aequè parum benè: Namque rogo vbi elementa nuda, & ſimplicia adeptus ſit, vt in eorum motione hunc viderit motum?

ſa-

Sanè in rerum Natura nullum à nobis haberi poteſt purum elementum; Ignis quidem non habetur, niſi in carbone, aut flammà; Carbo verò eſt in terrea ſubſtantia, aqueo mixta; idem eſt ſi fuerit aliquod metallū ignitum; Flamma, n aqueo, & aereo; eſt etenim fumus ccenſus; fumus verò eſt vapor, cuius ubſtantia plurimum habet de aqueo dico plurimum, neq; enim fumus ſimliciter vapor eſt; ſed eſt exhalationi iixtus, ſiue ſali volatili, quod idem ſt). Terram nunquam puram habebis, tenim eſt ſalibus mixta omnis: Quod ſália per ebullitionem in aqua excoeris, necdum tamen huiuſcemodi ter- ſimplex elementum dicetur; quod ſi ontingeret probè exſiccatam à loco aere, & humore immuni aſſeruari, unquam huiuſcemodi fermentabitur, ıt putreſcet. Aerem, neminem vnuam opinor purum cœpiſſe, etenim niuersà Atmoſphœra, vaporibus & halationibus ſcatet: Immò ſi purus ret, idoneus omninò non haberetur l reſpirationem animantium; ideoque

qui Americanos Andios prætervehuntur, ſpongias oleo imbutas ore apprehenſas ferre dicuntur, vt valeant reſpirare, ob aeris nimiam ſubtilitatem. Fortaſſe puram aquam hauſerit, quam poſtquàm deſtillauerit, puram cenſuit. Sed neque hæc ab omnimoda miſtione eſt immunis: Quod ſi quis talem nãciſceretur, neque hæc vnquam fermentari poſſet, quia cum non habeat partes heterogeneas, quæ inuicem agant, non eſt vnde promanet corruptio, aut putrefactio.

Ideòque, & hoc loco à Chymicis eſt deluſus, illi namque de ſuis elementis loquuntur, quæ cum ſimplicia elementa non ſint, & ea de quibus Philoſophus, ſed compoſita, Sal ſcilicet, Sulphur & Mercurius, quorum nullum eſt, quod de altero non participet, ita eorum quoduis, calore leni accedente, facile fermẽtatur, & putreſcit, & Mercurius in Sulphur, Sulphur in Salem, & hoc rurſus in alterutrum migrat.

2. de gen.

Ex hoc fit, vt Atomi illæ, quas per liquores ſoluentes aberrantes obſer-

uarunt

unt aliqui, decepti fuerint, putantes
iotum illum à Natura illis inesse, cùm
amen effectus sit aquę soluentis; Cum
nim solvuntur, vi caloris, qui ex con-
árietate acidi cum salso, se mutuo
rmentantium exoritur, in altum pel-
ntur, quæ postmodum omninò solu-
e, in aquæ soluentis corpore quiescũt.
iod si varia fuerint, ac permista me-
la, vt aurum, & Argẽtum, Aurum ima
tit, Argento in aqua remanente; Si
gentum, & Aes, Argentum in modũ
eris, ima petit, Cupro in aquæ cor-
e remanente, & sic de alijs metal-
quæ non solvuntur, itaut in corpo-
liquoris soluentis vnà misceantur;
liquor ille, talis actiuitatis sit, vt
nia pariter soluat, cuiusmodi hacte-
nullum vidi, in quo non fiat alterius
ecipitatio. Vis autem solutiua hæc
ignea, ab acido profecta, cuius est
ere, acidum enim soluit, quod sal-
coagulat. Sal verò coagulando
cipitat omne solutum, modò ei cõ-
ietur. Ita sal commune præcipitat
gẽtum, ac Cuprum. Oleum Silicum,

&

& Tartari, præcipitat Aurum, in aqua Regis solutum; Tartari quidem oleum, efficit Aurum fulminans, non item Oleum Silicum.

Fateor quidem in eo casu, quo plura metalla in eadem aqua solvuntur, omnia ad sibi propria coagmentari, sed hoc non oritur ex Natura athomorum, verùm ex accidente, quo vnum post alterum precipitatur, namq; dum omnia simul liquantur, vbi talis eorum foret Natura, pariter singula ad sibi similia confluerent, quod tamen falsum est, etenim ita sese mutuo peruadunt, vt vnius metalli minimum, cum minimo alterius misceatur; Quo fit, vt Docimastæ ex particula exigua metalli in massam confusi, quantum cuiusque in tota massa sit possint agnoscere. Ita, si massam centum pondo Docimastæ tradideris, in qua Aurum, Argentum, & Cuprum mista sint in fusione confusa; (non loquor de vena, in quà à Natura, plura sæpè metalla exorta reperiuntur) sed de ijs quæ in liquatione cocunt, nouē duntaxat Karattos (vt vocant) seu denarios

narios assumunt, ex quibus quantum cuiusque in ea reperiatur, decernunt. Non igitur est isthæc in rerum natura vis, omnia hæc corpora minima ad motum excitans, nisi Cartesianas subtilitates sequaris. Non ergo verum est, aurea ad aureas, argentea ad argenteas particulas, naturali instinctu confluere. Qui igitur omnia ad motum vrget ignis est, ipse etenim veluti anima rerum, ea ad motum excitat, quibus miscetur, siue per se, siue per accidens. Quoniã verò summè tenuis est, & quasi rerum forma, terram præcipuè, quia omnibus reliquis corpulentior, tanquam corpus diligit, in qua vnà quiescit. In ea igitur veri Philosophi ipsum quærunt, quem Pytagorici medias in Natura tenere, non insulsè sunt arbitrati; Non quod Solem in Vniuersi meditullio immobilem opinarentur, quẽadmodum Phylolaus est commentus, sed quia in centro vniuscuiusq; rei ignis repetitur, veluti fouẽs, alens, mouens, & omnium operationum naturalium causa præcipua.

aquarum, tum olei, tum aduentitij culinaris vigore, ergo multo magis in imperfectis metallis, poterit pars aliqua figi. Sed nescio an consequenter hoc pacto differere arbitrabitur, aut veritati conforme.

Adde aliud non minùs imperitum in hoc Magisterio dogma. Elichnium Albestinum, pro lampade conficienda assumit, vt incombustibile efficiat, quia cum hoc vnctuoso aliquo corpore illitum accenditur, deflagrante pinguedine, ipsum illæsum persistat. Sed non satis est expertus ipsum Asbestum si .n. 8, vel 10 horis in oleo accensum detineatur, tandem comburitur, & fungum ad instar aliorum combustibilium efformat, & carbone in cineres dissoluitur. Hoc igitur primùm erat examinandum, quod est Physicum, antequam ad licitum suum Magisterium descenderet, quod quanti sit, Lanx ostendit.

Aliud non dissimile Magisterium licitum habet, quo ex Argenti vncià, purissimi Auri drachmam elici posse fatetur. Asserit tamen ei inextitisse. Ma-

gnum

gnum profectò opus! Omnes Docimastici id norũt. Sed rogo, an post hanc separationẽ, iterũ alia drachma Auri separari possit? Si dicas, ergo nõ inerat Aurũ Argento; alioquin totũ Argentum Aurum fuisse opportet, quoniam separatâ vnâ drachmâ Auri, alia iterum separatur, ergo, donec nil amplius Argenti sit reliquũ, quod separetur; Omne enim finitum ablatione finiti demùm absumitur. Si verò non segregatur Aurum, post primam segregationem, dono tibi tuum licitum Magisterium, inutile siquidem; Si .n. cõtigerit ad opus Argentum accipi, è quo Aurum iam antea separatum fuerit, infelix Operans laborabit in cassum. En quomodo licitum eius Magisterium euanuit, qui veri Magisterij possibilitatem exagitat. Phy. 1. t. 37.

Reliquos omnes processus, tamquã nugaces, nihili facio, quibus ne vmbra quidem veritatis insit, & circumforaneorum vanitates omnes contineant, quare immeritò à viro seria docente assumi nequibant, maximè cum omnes in Paracelsi discursu reijciantur. Ad

quid ergo eorum operandi modum inanem repetere?

Processum colophonis loco, quem Paracelsi dicit elucidatum à se proponit, quem in Vitriolo, (quod ex eius verbis supra relatis eruit) consistere censet. Hunc dein prolixè recitatum confutat, quia omnium Philosophorum consensu prima Magisterij materia est Mercurius, non vulgi, non Vitriolum, & siquod est aliud minerale, quod & ipse Paracelsus affirmat, refellens eos omnes, qui in mineralibus laborant. Si ergo Paracelsus negat à mineralibus Mercurium Philosophorum elici, quis sanæ mentis persistat, eum Vitriolum vulgare pro Magisterij materia elegisse? Dicit Author, nota sibi arte id eruisse e verbis Paracelsi. O Artem fallacem, quæ occultas hominum cogitationes, ex vocibus alienis in apertum deducere se posse præsumit! Ecquid eorum, quæ in processu allegato legũtur, e Vitriolo vulgari vnquam euenire posse opinatur? nequàquàm profectò; Quare tale vitriolum neutiquam Para-

celſus vſurpauit, quod Author, aut verè credidit, aut ſictè ſe opinari recenſet.

Iterum tandem in Paracelſum inuehitur, ſiquid aliud Vitrioli loco pro Magiſterio præſcripto vſurpauit, aſſerens impoſtorum proprium eſſe, aliud verbis inuoluere, aliud mente ſentire. Sed non imponit, qui profitetur expreſsè, ſe Parabolicè loqui, occultare materiã, reticere magiſterium verum: Qui igitur non aſſequitur, ſuſpendat ab opere manus, linguam à maledicto, nam & ei nihil imponit, neque pro documento inutili lucrum expoſcit, neque ad opus inuitat: quinimmò occultè ſe loqui velle profitetur, in odium indignorum, cũ non ſint Margaritæ ante porcos proijciendæ; Qui ergo adhuc præmonitus Vulgare Vitriolum, aut minerale vllũ, cenſet materiam exhibere poſſe; pro lapide conficiendo, & Vitriolum nihilominùs adhibere nititur, cur imputat Philoſopho, quod eum ſeduxerit? Reſtat igitur, omnes proceſſus vanos eſſe; Philoſophos, de ijs loqui ſimilitudi-

nariè; Materiam aliquando èxpressis verbis nominare, sed non in processibus ordinatis. Non tamen esse impostores, quia præmonent operantes, & pro intelligentibus scribunt, non pro ignaris.

CAP. XII.

Expenduntur dogmata Capitis III Libri XII Sec. 45 in quo, positis quibusdam generalibus principijs, varia experimenta deducuntur, & ponderantur; vbi de Igne, Lumine, ac Diaphano.

VNiuersalem quandam Metheorologicam doctrinam, tradit hoc capite, quam, quia multorum dogmatum refert originem, attentiùs opportet considerare. Itaque eius verba ita se habent initio capitis adnotati.

Est in rerum natura quidem intrinsecus principiorum cuiusvis corporis motus, quem non incongruè fermētationem appellare possumus,

sumus, cum tendentia ad perfectionem eiusmodi corporis, vel ob mutationem ad aliud: quod vel maximè in elementorum motionum varietate elucescit, quæ vti ex corpusculis minimis constat, ita quoque, vel propria Naturæ impetu, aut occasionaliter in motum cõcitantur, se mirum in modum exagitant, & exagitantur; se inuicem diducunt, & inuoluunt: quæ Naturæ benignitate, subtilitatem consecutæ, mox auolare nituntur, sed à crassioribus reticulis, ne prorsus auolare queant, detinentur: interim crassiores, a subtilibus, mirà luctà in tantum inciduntur, attenuanturque, donec vnà cum subtilioribus exaltatæ, euectæque, aut debitam perfectionem acquirant, aut alterationes à Natura designatas compleant, quæ est totius Metheorologiæ summa: Hinc enim, Raritas, Densitas, Opacitas, Perspicuitas, Flacciditas, Liquiditas, Fixitas; hinc per humidum & siccum mollicies, asperitas, flexibilitas, ductilitasque rerum omnium originem habet.

Hæc doctrina idcircò præmittitur, vt ostendatur, quomodò in segregatione metallorum, omnia homogenea coeant, Heterogenea separentur; &

cum

cum plura, ac diuersa in Natura, casuali mistione coagulata coeant, in dissolutione singula ad propria loca redeuntia, similia similibus copulentur.

Ideò Athomos, non Democriticas inquit, sed reales, ac corpulentiores, quę Microscopio, vel vitro oculari crassiori cerni possunt, in corpus crassius coagmentari. Ita salia, salibus iunguntur, metallica metallicis, & eiusdem metalli species ad speciem confugere.

Hæc doctrina quia Philosophiam sapit, meritò altiùs est consideranda; quia etsi multa vera, ac propè omnia contineat veritati consona, effectuum tamen immediatas, ac proprias causas non reddit, & siquid reddit, non omninò satisfacit.

Primò igitur dicit, intrinsecum Naturæ motum, non incongruè *fermentationem* dici, qui fit cum tendentia ad perfectionem eiusmodi corporis. Hæc non benè dici inde liquet, quia omnis fermentatio est rei corruptio, corruptio autem non est perfectio, neq; tendentia ad perfectionem eiusdem cor-

poris,

poris, sed potiùs tendentia ad segregationem partium eiusdem, & consequenter totalem mutationem. Ita cum farina aquâ, aut àceto mista, fermentatur, corrumpitur, neque inde perficitur; Vnde & D. Paulus asserit, modicũ fermenti, totam massam corrumpere. Cum igitur Spagyrici Quintas essentias è corporibus elicere nituntur, ea fermentant: fermentari etenim a feruendo dicitur, quia feruore, seu calore res putrescit, & e putrefacto faciliùs separantur principia, siquidem per eam partes ligatæ à Natura dissolvuntur. Non igitur motus hic est ad perfectionem, neque per hunc res ad perfectionem tendit, sed ad corruptionem; & destructionem.

Huius lapsus causam esse opinor, quia cum dicant Philosophi fermentũ tribuere perfectionem Lapidi, censuit fermentationem esse perfectionem, seu motum ad perfectionem eiusdem corporis, siquidem & panis, cum fermentatur, perficitur. Attamen sciendum est, fermentationem, vt dixi, esse cor-

ruptionem rei, quare partes diſſolvuntur, quæ erant vnitæ, in qua diſſolutione materia ſpongioſa efficitur, ac ideò panis fermentatus ſpongioſus euadit, quod azymo non contingit. Cum igitur Lapis fermentatus putreſcit, cum Aurum, tum Philoſophicus Mercurius diſſolvuntur, quà diſſolutione factà, partes continuato calore iterum miſcentur, & quia homogenea ſunt, & eiuſdem naturæ, iterum in vnum corpus coaleſcunt, in qua operatione, partes diſſolutæ attenuantur, & inde fit maſſa ſubtilior, quæ à perfectiori, & actiuiore parte, ſuam perfectionem aſſumit. Dicitur autem Aurum fermentum fermenti, quia cum activum ſit, ac Sulphur fixum, perfectumq; contineat, aquam Mercurialem in ſuam naturam conuertit, & ad ſui quodammodò ſaporem eandem reducit.

Addit hoc eluceſcere in elementariarum motionum varietate. Aequè parum benè: Namque rogo vbi elementa nuda, & ſimplicia adeptus ſit, vt in eorum motione hunc viderit motum? ſa-

Sanè in rerum Natura nullum à nobis haberi poteſt purum elementum; Ignis quidem non habetur, niſi in carbone, aut flammâ; Carbo verò eſt in terrea ſubſtantia, aqueo mixta; idem eſt ſi fuerit aliquod metallũ ignitum; Flamma, in aqueo, & aereo, eſt etenim fumus accenſus; fumus verò eſt vapor, cuius ſubſtancia plurimum habet de aqueo (dico plurimum, neq; enim fumus ſimpliciter vapor eſt; ſed eſt exhalationi mixtus, ſiue ſali volatili, quod idem eſt). Terram nunquam puram habebis, etenim eſt ſalibus mixta omnis: Quod ſi ſalia per ebullitionem in aqua excoxeris, necdum tamen huiuſcemodi terra ſimplex elementum dicetur; quod ſi contingeret probè exſiccatam à loco ab aere, & humore immuni aſſeruari, nunquam huiuſcemodi fermentabitur, aut putreſcet. Aerem, neminem vnquam opinor purum cœpiſſe, etenim vniuersà Atmoſphœra, vaporibus & exhalationibus ſcatet: Immò ſi purus foret, idoneus omninò non haberetur ad reſpirationem animantium; ideoque

runt aliqui, decepti fuerint, putantes motum illum à Natura illis inesse, cùm tamen effectus sit aquę soluentis; Cum enim solvuntur, vi caloris, qui ex contrarietate acidi cum salso, se mutuo fermentantium exoritur, in altum pelluntur, quæ postmodum omninò solutæ, in aquæ soluentis corpore quiescũt. Quod si varia fuerint, ac permista metalla, vt aurum, & Argẽtum, Aurum ima petit, Argento in aqua remanente; Si Argentum, & Aes, Argentum in modũ cineris, ima petit, Cupro in aquæ corpore remanente, & sic de alijs metallis, quæ non solvuntur, itaut in corpore liquoris soluentis vnà misceantur; nisi liquor ille, talis actiuitatis sit, vt omnia pariter soluat, cuiusmodi hactenùs nullum vidi, in quo non fiat alterius præcipitatio. Vis autem solutiua hæc est ignea, ab acido profecta, cuius est soluere, acidum enim soluit, quod salsum coagulat. Sal verò coagulando præcipitat omne solutum, modò ei cõtrarietur. Ita sal commune præcipitat Argẽtum, ac Cuprum. Oleum Silicum,

& Tartari, præcipitat Aurum, in aqua Regis solutum; Tartari quidem oleum, efficit Aurum fulminans, non item Oleum Silicum.

Fateor quidem in eo casu, quo plura metalla in eadem aqua solvuntur, omnia ad sibi propria coagmentari, sed hoc non oritur ex Natura athomorum, verùm ex accidente, quo vnum post alterum precipitatur, namq; dum omnia simul liquantur, vbi talis eorum foret Natura, pariter singula ad sibi similia confluerent, quod tamen falsum est, etenim ita sese mutuo peruadunt, vt vnius metalli minimum, cum minimo alterius misceatur; Quo fit, vt Docimastæ ex particula exigua metalli in massam confusi, quantum cuiusque in tota massa sit possint agnoscere. Ita, si massam centum pondo Docimastæ tradideris, in qua Aurum, Argentum, & Cuprum mista sint in fusione confusa; (non loquor de vena, in quà à Natura, plura sæpè metalla exorta reperiuntur) sed de ijs quæ in liquatione cocunt, nouē duntaxat Karattos (vt vocant) seu de-

narios

narios assumunt, ex quibus quantùm cuiusque in ea reperiatur, decernunt. Non igitur est isthæc in rerum natura vis, omnia hæc corpora minima ad motum excitans, nisi Cartesianas subtilitates sequaris. Non ergo verum est, aurea ad aureas, argentea ad argenteas particulas, naturali instinctu confluere. Qui igitur omnia ad motum vrget ignis est, ipse etenim veluti anima rerum, ea ad motum excitat, quibus miscetur, siue per se, siue per accidens. Quoniã verò summè tenuis est, & quasi rerum forma, terram præcipuè, quia omnibus reliquis corpulentior, tanquam corpus diligit, in qua vnà quiescit. In ea igitur veri Philosophi ipsum quærunt, quem Pytagorici medias in Natura tenere, non insulsè sunt arbitrati; Non quod Solem in Vniuersi meditullio immobilem opinarentur, quẽadmodum Phylolaus est commentus, sed quia in centro vniuscuiusq; rei ignis repetitur, veluti foués, alens, mouens, & omnium operationum naturalium causa præcipua.

Luctantes itaque atomos introducit, quarum aliæ veluti retinacula alias irretire nituntur; aliæ nempè subtiliores, crassiores peruadere, easque aduolatum concitare contendit. Non hoc ita censeo. Cum enim (vt paulò ante attigi) in liquoribus acribus & aquis stygijs, vel (vt vocant) fortibus, vel etiam in simplici aqua corpora soluimus; quoniam non continuò simul secantur in minima, corpulentiora adhuc in aquis prædictis, siue menstruis solutiuis in altum eleuantur, quoniam fit quædam ebullitio, quà in altum propelluntur, & ita per aqueum corpus errant, quoadusque soluantur, quod intuenti manifestè patet. Non igitur hæc lucta è corporum, siue Atomorum natura desumenda, sed ex accidente; neque subtilia crassiora, ad uolandum excitant, aut crassiora subtiliora vinciunt, sed ignis inexistens, dum corpora soluit, minora in altum propellit, crassiore massa in imis semper residéte.

Si autem de Atomis illis loquaris, quæ in Aere visuntur, cum Sol per fe-

nestram intromissus easdem spectãdas exhibet, in ijs huiuscemodi lucta non obseruatur, quapropter imaginaria est, & nullo innixa fundamento firmo adinuenta. Atomi verò illæ à luce, siue igne mouentur, & sunt quæ è solutis corporibus, tanquam exhalationes, seu salia volatilia educuntur; quorum causa motrix est, vt benè Philosophus *Phy. 8.* ostendit generans ipse calor, aut soluens, hic enim præcipuum in elementorum generatione locum obtinet. Nõ igitur casu Atomi illæ feruntur, sed vi ebullitionis, à crassioribus segregatæ propelluntur.

Quod verò omnia Metheorologica hinc ducant originem, non ero alienus, sed in modo, non vsqueadeò consentiam: immò dum varias præcipitationes enumerat, e quibus liquores variè afficiuntur, & colorantur, & earum reddere rationem contendit eam in variã luminis refractionem, quæ ex solutorum corpusculorum diuersitate, liquoribus solutiuis inexistente resultat, eã refert, quare hæc habet.

Huiusmodi igitur Phænomenorum ratio aliunde petenda non est, nisi a corpusculis, intra cuiuslibet liquoris poros contortis; quæ quoad situm & positionem ab aliquo alio liquore infusæ, diuersimode (a) *alteratæ, lucis suæ radios transmittunt, multifariam refringunt, reflectuntque: Atque hinc* (b) *supradictas colorum vices emanare, necesse est.* Et paulò post. *Cum subiecta colorum, aliam, & aliam ex corpusculis particulisq; compositionem habeant; nonnullæ quidem diaphani* (c) *corporis particulæ, quemadmodùm luci simillimæ sunt, ita limpidissimæ quoque, & instar chrystalli translucentes cõparent, ex quibus limpiditas* (d) *illa liquorum, originem suam sortitur: quædam verò opacorum corporum particulæ, cum aliam compositionem habeant, colore* (e) *& natura differentem, illæ superaffusæ limpidis, pro colorum diuersitate, nunc in flavum, modò in purpureũm, iam in cæruleum, & tandem in nigrum tingentes, opacitatem inducunt: Nam prout particulæ in liquore contentæ, ab alio infuso, modò propiùs adactæ se inuicem complicant, & modò ad has, modò ad illas positionum series ordinantur, inde colorum*

di-

diuersitatem (f) *consequi, necesse est.*

Multa in hoc discursu continentur, quę nullam omninò inuicem connexionem admittunt. Dicitur sub littera (*a*) diuersitatem colorum oriri ex radiorum effusorum lucis emissione, & positione particularum variâ, quæ diuersimodè alteratæ lucis suæ radios transmittunt.

Idipsum repetitur sub littera (*f*) vbi dicitur, varia earundem particularum positio;(attamen superiùs positioni addebatur alteratio). Possunt tamen duo hæc conciliari, quod alteratio illa intelligatur duntaxat quoad situm, & positionem earumdem particularum; vnde consequitur, non esse Atomorũ seu particularum naturam,quæ colores efficit, sed earum quoad situm, & positionem ordinationem, quod confirmatur, ex repetitis sub littera (*b.*)

Attamen sub littera (*e*) assignantur particulæ corporis diaphani, quæ luci simillimæ, liquori limpiditatem conciliant. Non igitur ampliùs positio, sed Natura est in corporibus, vt sinę

diaphana, & inſtar lucis; ita namque lucem vel tranſmittunt (& ita non illi limpiditatem conciliant, ſed lucem nō impediunt) vel reflectunt, vt ſit limpidiſſima, & ita non eſt ampliùs Natura, ſed reflexio lucis.

Id confirmatur ſub littera (*d*) vbi dicitur liquorum limpiditatem à diaphanis corpuſculis originem ducere; ergo hæc corpuſcula, vel lucem reflectunt, & ſic non ſunt diaphana, vel non reflectunt, & ſic nihil valent limpiditatis tribuere; Aut vellem mihi explicari, quomodo hæc limpiditas concilietur liquori, quem non limpidum à Natura eſſe fateri conuenit, ſiquidem limpiditatem à diaphanis particulis, eiſque luci ſimilimis mutuatur.

Sub littera (*e*) verò negotium omninò mutatur, namque particulas habemus opacorum corporum, colore, ac Natura differentium, igitur non amplius color eſt ex poſitione, & combinatione corpuſculorum, ſed ex eorundem Natura, colore differente, quæ ſuperaffuſæ limpidis, eas varijs afficiunt

co-

coloribus. Quo verò pacto particulæ illæ opacorum corporum varios primùm colores in liquore limpido inducant, & demum illum in nigrum tingentes opacitatem introducant, non intelligo; Si etenim iam opacæ sunt, vel sunt nigræ, vel non; Si sunt, semper nigrã opacitatem inducent: Si non sunt, nunquàm inducent nigram opacitatem, neque enim nigredo ex varijs coloribus oritur; neque vnquam Pictores, qui in colorando imitantur Naturam, ex flauo, viridi, rubeo, cæruleo, nigrũ conficiunt. Quare Rhetoricus est discursus, non Physicus, & nullius in mea Trutina ponderis, quæ sola Physica librat. Reassumens igitur dico. Vel colores oriuntur ex refractione luminis, vel non; Si priùs, ergo non ex varia corporum Natura, sed ex varia superficierum positione; Si posterius, ergo frustrà ad ordinationem corpusculorum recurrimus, quibus lumen refrangitur, & consequenter color non erit reflexio luminis: Si dicas colorem esse refractionem luminis, hanc tamen oriri à

varia Natura corpuſculorum, aliquid quidem dices, nimirum corpora talibus ſuperficiebus compoſita, taliter quoque lumen reflectere, ſed tunc non benè dices, ea colore ac Natura differre. Addo diſſerere hoc loco Autorem de diaphano, ac opaco, quaſi iam deciſum ſit, in quo vtriuſque Natura conſiſtat; cum tamen vix alia in Philoſophia majoris momenti, ac difficultatis quæſtio reperiatur.

Rogo igitur, quid ſit eſſe diaphanũ: Cũ etenim aliquas eſſe dicat corporis diaphani particulas, diaphanũ ab opaco eſſentialiter differre doceat eſt neceſſum. Inquiramus igitur, in quo vtriuſque ratio formalis exiſtat. Philoſophus quidem diaphanum, ſeu perſpi-
2. de cuum eſſe dicit, *quod eſt quidem viſibile,*
an. t. 68. *non autem ſecundum ſe, ſed propter colorem externum* quare in ſe viſibile non eſt, cum viſum nullo modo terminet, ſed
t. 69. per accidens, *huius autem actus eſt lumẽ, ſecundum quod eſt perſpicuum*; quare non benè intelligo quid ſint illæ particulæ diaphani corporis, luci ſimillimæ; neque

que enim lux diaphana eſt, ſed actus diaphani, quare neque vt tales poſſunt illam limpiditatem tribuere corpori, ſed corpus illam habet, & quantò hoc eſt magis limpidum, ac purum, eò magis formæ luminoſæ eſt ſuſceptivum: Igitur in quo hæc perſpicuitas conſiſtat inquirendum.

Recentiores plurimi, in quibus P. Stephanus Coſmi, Grimaldus, & alij maximi ingenij, diaphaneitatem in eo ſitam eſſe docent, quod corpus poros ita in directū diſpoſitos habeat, vt per eos lucem nō interruptam valeat tranſmittere, quare nulla in tali corpore interpoſitarum partium exiſtit, quæ huiuſcemodi poris obicem obtendat, itaut lucis lapſum, ſiue fluorem intercipiat. Quod Grimaldus præfatus demonſtrare acutè contendit.

Si ita eſt, cum corpuſcula ex minimis corpuſculis coaleſcant, tandem neceſſe erit ad aliquod deuenire, quod poroſum non ſit: Si itaque non poroſum, ergo neque diaphanum: Quod ſi non diaphanum, igitur perperàm aſſeris

eſſe aliquas diaphani corporis particulas, luci ſimilimas, quia omnis Atomus erit eiuſmodi, neque enim magis, aut minùs datur in negatiuo, neque in eò quod poris caret, aliud magis caret, aliud minùs, ſed carentia eadem eſt, omnibus vna. Secundum itaque hanc perſpicuitatis rationem non benè Philoſophatur, qui particulas diaphani corporis, luci ſimilimas docet.

Neque dicere licet in infinitum diuiſibilia eſſe corpuſcula illa, ideòque ſemper habitura poros, quantumuis parua ſit, in quibus conſeruetur ratio diaphani. Nam licet vt quanta ſint diuiſibilia, non tamen vt corpora talis rationis, cuius diſtinctionis fundamentũ
Phy. 8. t. 44. eſt in Philoſopho, licet enim huiuſmodi diuiſibile ſit potentià, non retinebit eandem rationem, ſi diuidatur actu; ergo actu indiuiſibile eſt, vt corpus diaphanum, ergo particula illa non erit vt diaphana vlteriùs poroſa, & ita idẽ erit diaphano eſſe, ac opaco, in particulis illis minimis, quod Authores huius ſententię non dubitant concedere,

Authori verò noſtro non licet, ſtante eius fundamento immoto.

Sin autem dixeris, diaphanum eſſe id, quod dicit Philoſophus ſupra, quod colore extrinſeco ſolummodò videtur; primò effectum diaphani dices non eſſentiam, ratio enim diaphani eſt abſoluta, non relatiua, quare aſſignanda eſt ratio, cur hoc videatur colore externo, illud proprio. Si replices quia hoc diaphanum, illud opacum, principium petis, neque rationem reddis. Si denique replices, definitionem non poſſe probari, niſi per definitum: Impugno, quia eorum quæ non ſunt ad aliquid, eſſentia non eſt relatiua, quare cum inter ea, quæ ad aliquid ſunt diaphanum non enumeretur, non erat illa definitio ex ijs, quæ nequeunt probari, niſi per definitum.

Sed admiſsà hàc definitione eſſentiali, & non circumſcriptiuà, Autori hoc dicere non licet, quia ex eo, quod hæ particulæ diaphanæ ſint, ac luci ſimilimæ, aſſerit prouenire liquori limpiditatem, ergo non eſt viſibilis particu-

la illa colore alieno, ſed proprio, ſiquidem & communicat limpiditatem liquori in quo ſoluitur, ergo corpuſcula hæc, luci ſimilima, ſe habebunt vt forma, quia actuant perſpicuum, cuiuſmodi eſt aqua, aer, & liquores, aut alia, de quibus Philoſophus loco citato; etiamſi etenim liquores non nominet, eos ſub voce aquæ, compræhendit.

Ego in re hàc difficilimà, diaphanũ illud dico, quod ex ſuperficiebus omninò glabris componitur; ſiue (ne opineris me ſententiam Platonis docere, de compoſitione continui, ex planis) dico, id eſſe, quod ex partibus omninò compactis, & nequàquam poroſis conſtat, quod in eo agnoſcitur, quia in fractione, huiuſcemodi corpora glabram vndique habent ſuperficiem, & nullo pacto poroſam, aut granulatam: Ita Lapides diaphani omnes hoc habent, Cornu, Vitrum, Talcum, & ſimilia.

Contra verò, opaca ſunt poroſa, & in fractione, ſcabrà, & granulatà ſuperficie pollent: ita omnia ligna, metalla, vulgares lapides, & ſimilia. Quod ſi

quando ligna, vti ex dolabro decisa, valdè tenuia, diaphaneitatem quandã imperfectam ostendunt, ideò fit, quia minus porosa sunt, quàm fuerat totum corpus ligneum. Hoc igitur apparet in Auro, alioue metallo, quod etsi in tenuissima folia redactum, attamen semper retinet porositatem eandem, eo quod eius Natura sit Mercurialis, & quemadmodum ille congelatus odore Plumbi, aut Stanni, granulatam semper habet superficiem, ita & istud. Granulatam dico in intrinseco, & fractione non in extrinseco. Ita autem esse & omnia metalla esse porosa in interiore superficie patet in folijs iam dictis metallorum, maximè in ijs, quibus vitra specularia conficiuntur; quibus folia ex Stanno confecta applicantur, addito Mercurio vulgari, qui mox totum Stanni corpus, quantumuis diffusum peruadit; vtique sese in eius poros insinuans, alioquin daretur corporum penetratio, & duo corpora eundem occuparent locum; quod cum impossibile sit, sequitur hæc corpora esse valdè

dè porosa, ideoque inde opacitatem oriri.

Sed quomodo lumen, quod vtique corporeum esse Grimaldus supra citatus, rationibus validissimis videtur evincere? Igitur in hoc erit penetratio corporum. Respondeo in via Aristotelis facilè difficultatem expediri; Negatur etenim assumptum, siquidem Philosophus suprà docuit lumen esse actū conspicui, quàtenus, in actu est; actum verò peruadere corpus, cuius actus est, nihil impedit, corporum etenim ad inuicem penetratio negatur, non actus cum corpore. Si tamen ita sit, quomodo lumen ita in subiecto multiplicatur, vt ignem producat? Respondeo in eàdem sententià, lumen admittere intensionem, & remissionem; Quare in densiore diaphano intéditur, & multiplicatur, ad modum reliquarū formarum accidentalium; ideòq; ita multiplicatum inducit vltimam dispositionem caloris in subiecto, qui calor proficiscitur à lumine, ac corpore luminoso velocissime moto, ad quam di-

spo-

ſpoſitionem ſequitur in combuſtibili materia forma ignea. Addo lumen eſſe igneæ naturæ, cum ſit effectus primarius ignis, quare ignem ſecundum ſe adhuc generare poteſt.

Hoc igitur poſito, quomodò dicemus, ea corpuſcula eſſe diaphana, cum in maſſam redacta, ſuperficie ſcabrà afficiantur? Siue enim metallica, ſiue ſalinoſa ſint, nunquam erunt diaphana, niſi vitrificentur, tunc etenim poroſitate deperditâ, omnino condenſantur; quo fit vt Mercurius, metallica vitra nullo pacto valeat peruadere, quia in eorum corpus ampliùs ſeſe inſinuare non valet. Quod ſi obijcias, neque calcinatis corporibus, ſeſe miſcere Mercurium: Reſpondeo eandem eſſe rationem, quia in minimas metallicas atomos redacta, omnis eſt ſublata poroſitas; quare ſeſe in ijs inſinuare non valet. Si vrgeas, quare eæ atomi non ſint diaphanæ? Reſpondeo, quia non ſunt corpora ſolida, quorum eſt eſſe diaphana, neque ſuperficiebus glabris cõponuntur, quod docuimus eſſe de ra-

tione

tione conſpicui, idipſum etenim, vel in vitro, & chryſtallo cernitur, quod in puluerem minutiſſimum redactum, non eſt vltrà diaphanum; cuius ratio alia reddi nequit, quàm quod careat ſuperficie glábra, neque ſit corpus omninò compactum.

Quod ſi à Peripatetica doctrina recedere liceat, dicamus ignē, ac lucem eſſe ſubſtantialiter idem, neque lucem aliud eſſe, quàm ignem agitatum, in corpore diaphano receptum. Ignem verò nō eſſe quid corporeum, eoquod nullam habeat propriam dimenſionē, ſed eam accipiat à corpore, cui ineſſe contingit, ad inſtar materialium formarum, quæ dimenſionem à ſubiecto recipiunt. Ignis igitur, eſt quodammodò totus forma, & quidem forma ſine determinatione ſubiecti, vaga, & omni ſubiecto communicabilis, quod cum afficit, ab eo corpus aſſumit, ſiue in aere, ſiue aqua, ſiue terra, ſiue ab alio quocunque miſto. Neque tamen hoc opinère, omninò à Philoſophia alienū: veluti etenim dantur ſimplices formæ

apud Platonem, quæ subiectis assistentes, per se non efficiunt vnum, cuiusmodi etiam dicuntur ab Aristotele Intelligentiæ Cœlorum motrices, non erit incongruum in materialibus dari formam substantialem, siue dicas substantiam formalem, quæ cum omni subiecto efficiat vnum per accidens, quãuis ipsa sit substantia in se, & per se. Ne verò, vt Platonicus, aut Peripateticus videar in hoc à fide aberrare, non dico dari huiuscemodi formas ab Angelis distinctas, qui etiam Aristoteli formæ separatæ dicuntur, non quia corpora informent, sed quia sunt substantiæ separatæ à corporeitate, per se subsistentes, determinatæ speciei, absque omni materia, ac substantiali compositione.

In hoc differunt tamen, ab ignea forma, tum, quia sunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte loci, quem occupant, tum quia nequeunt corporibus misceri, & cum illis in compositionem descendere, quibus dotibus ignis caret, tum, & præcipuè, quia sunt Intel-

lectuales, Diuinæ gratiæ, ac visionis compotes, à quà perfectione, longè distat ignis, aut lumen.

Quibus positis, facilè est soluere quæstionem propositam; cum etenim ignis aut lumen, sit mera forma, omni carens materià, nil mirum omnia corpora penetrare. At quoniam corpora opaca seu non omninò compacta ac porosa, sunt discontinua, quà parte pori interseruntur, lumen disrumpitur, neque enim vnitum, corpus non continuum potest peruadere, & mutatà subiecti substantià, non valet vniformiter penetrare.

Hinc experimenta à Doctissimo pariter, & ingeniosissimo Grimaldo in medium adducta, stant omnimodè pro hàc sententià; cum enim per corpus opacum, radij quidam tenues transfunduntur, per eiusdem vmbram, non à poris deriuare opinandum, sed potiùs a particulis quibusdam opaci corporis, in directum dispositis, ita compactis, vt careant porositate; etenim, inter porum, & porum, necesse est esse

par-

partem non porosam, aliarum continuatiuam, quæ quia minima est, lucis quoquè minimum transfundit. Cum igitur huiuscemodi particulæ necessariò continuæ sint, quominùs corpus ex discontinuis componatur, per eam particularum continuitatem lumẽ defluit, ac penetrat.

Aptiùs autem explicari diaphanum per has partes densas continuas, quàm per porosas, vel ex eo liquet, quia in sententia explicante perspicuum per poros in directum dispositos, nullum datur corpus suaptè Natura diaphanũ, aut opacum, specie distinctum, sed omnia sunt & diaphana, & opaca, neque differunt, nisi secundùm magis, & minùs, quod contra omnes Philosophos esse videtur: Præterea non dicetur lumen verè penetrare corpus diaphanũ, sed liberè per foramina corporis pertransire, quo nihil differt à cribro, nisi quia pori foramina sunt minutissima, cribri verò, grandiora; quod vtique inconcinnè, ac minùs aptè dictum videtur.

In mea denique doctrina optimè saluatur, lumen esse actum perspicui, quod in alterà sententià dici nequit, sed esse corpus diffluens per poros, seu cauitates in directum positas corporis alicuius. Iuxtà quarum definitionum diuersitatem, Philosophantis conformitas ad communiorem doctrinam eluceſſit. Quam ego ingeniosis, ac æquis iudicibus subdo, eorumdem sententiam auidus expectans, cui lubens, ac volens subscribam, gloriosum mihi ducens, à Sapientibus corrigi.

His ita positis, quales particulas lucidas, quales opacas formabimus, in particulis prorsùs imperceptibilibus? Quin omnes solutiones defœcatæ sunt omninò diaphanæ; namque eorum particulæ ita sese miscent liquoribus, vt vnum continuum, absque omni porositate efficiant. Nullæ igitur erunt particulæ opacæ, quæ colorum diuersitatem efforment.

Aperiam ego quid sentiam. Omniũ corporum metallicorum, salinosorum, aut aluminosorum solutiones sunt diaphanæ,

phanæ, cum ſint homogeneorum corporum, ideoque in liquido continuante, omnem poroſitatem ſingulæ amittunt. Cæterum, cum inuicem miſcentur, confunduntur, & efficiuntur heterogeneæ, & illa diſcontinuatio opacitatem inducit, ex qua varij radiorum reflexus ſuccedunt, e quibus colorum diuerſitates oriuntur, quia cum corporum ſolutorum quodlibet peculiarem formam obtineat, & varias particulas quibus componitur figurà diuersà, neceſſariò luminoſos angulos diuerſificare contingit. Ex qua doctrina, facilè omnia experimenta, quorum plura Autor proponit, explicantur, & elucidantur.

CAP. XIII.

In quo ponderantur experimenta Tincturarum, vbi & argumenta Anthoris nullitatis conuincuntur.

PRo Operis Chymici coronide, varia experimenta Tincturarum ap-

ponit, omnia ſophyſtica, quæ omnes Philoſophi deteſtantur: quibus ad longum datis, alios proceſſus ſubdit, per quos Pſeudochymici, Aurum conficere ſe poſſe, aut confidunt, aut imponũt. Eoſdem examinat, & vel nullam in eis veram metallorum transmutationem fieri poſſe docet, vel ſiquid Auri Argentiuè inde eliciatur, non ex conuerſione imperfecti, in perfectum accidiſſe aſſerit, ſed ex eductione eorundem metallorum, in materialibus adhibitis præexiſtentium.

Conſiſtunt ij porrò in miſcella Vitrioli, Aluminis, Sulphuris, Mercurij vulgi, Aeruginis, Croci Martis, Aeris vſti, aliarumque rerum extranearum; vel etiam mediorum mineralium, Antimonij, Arſenici, Auripigmenti, &c. Sed quis vnquam Philoſophorum huiuſcemodi labores probauit? Quis ad Magiſterium Phyſicum talibus vtitur? Cuperem inquies, mihi ab ijs methodũ certam pręſcribi, quà id Arcanum conficitur, quà habità, factoque eius periculo, vbi ſucceſſerit acquieſcam. Hanc

tamen ipsi dare recusant. Si tamen quispiàm adeò anxiè hāc desiderat, eā dabit Gratianus; *Accipe*, inquit, *hoc, & hoc; fac sic, & sic, & habebis hoc, & hoc.* Cupis aliud? Dat tibi Auicenna, qui filio eam methodum tradidit; his verbis. *Dixit Abu Abincina Abu Ali Filio suo, accipe quod debes, & operare sicut debes, & exibit quod debet.* An non processus hi breues, faciles, plani, sine tot calcinationibus, solutionibus, corrosionibus, alijsque manipulationum generibus sanè inutilibus?

Eos ergo processus, licet vanos recenset opinor, vt se meritò Philosophum probet, cui nihil Chymicarum operationum sit absconditum, & vt ostendat laborum omnium vanitatem. Verùm omnia eius argumenta procedunt à termino, seu antecedente non distribuente, ad consequens distributum; omnia ab antecedente à secundū quid, ad simpliciter, vt vidimus, & in omnibus omninò obseruare licet, neque eorum vllum prorsùs, in bona forma concludit, nouo arguendi genere.

His positis historias refert, hunc, vel illum deceptum *à quodam*, hoc semper vago adhibito indiuiduo, & tamen vitio vertit Chymicis, cum dicunt *à quodam* veram fuisse transmutationem ostensam; Dicens esse nebulonum, & impostorum, vagabundorum circumcursantium per vrbes, ne imposturæ luant pœnas. Fit tamen hoc mala fide, in Viros probos; Si etenim quandòque contingit Deum laboribus huiuscemodi Virorum benedixisse, ita vt confundant temeritatem, ac imperitiam eorum, qui Artem occultissimam, at veracissimam negant, publica edunt experimenta: At quoniã ab Auaris, & rapacibus Auri cupidis, facilè insidias, ac damna paterentur, vbi noscerentur, & nomen reticent, & locum mutant, vt primùm publicum ediderunt experimentum; norunt siquidem, cupere deprædari eũ, qui thesaurum publicè in viâ circumfert. Non ergo ideò latent, & vagantur, quòminùs falsi, aut imposturæ criminis pœnas dedant, sed vel proprio, vel alieno periculo cauti, à Sapienti-

bus

bus edocti latent, neque alijs, quàm sibi similibus innotescunt. Ita Treuisanus plures bonos viros (non impostores) ac Philosophos nouit, confecto Lapide, quos antea ignorabat; Ita fratres Roseæ crucis in mutuam notitiam deueniunt, studiorum vniformitate accersiti.

Recenset dein, à varijs Authoribus relata experimenta, de proiectione, quæ omnia carpit, & negat vera fuisse, & fraudes fingit, quibus decipere possunt nebulones, vt veritati dubium obtendat. Sed experimentum quod Pragæ, sub Ferdinando III, gloriosæ recordationis, se iubente, ac coràm se factum, immò & proprijs manibus, plurimis spectantibus, ac simul demirantibus, anno 1648 xv Ianuarij, fraudis quomodo insimulabitur? Hoc sanè factum fuit, non à Chymico, sed ex puluere à Philosopho ignoto transmisso, qui latebat, non quia falsi pœnas metueret. Ex eo tamen Hydrargiri in Aurum purum, putum, verum, subsistens, reale, non fictum, ac sophisticum, fa-

ꝺa eſt migratio. Tunc profectò non erat iſthic Agyrta, qui imponeret, nemo, qui Auri, aut auræ captandi gratia Cæſareã Maieſtatem deciperet: Ignotus pulueres aurificos miſit, neque à quo vnquàm reſcitum. Potuiſſet hic a munificentiſſimo Cæſare centum talerorum millia obtinere, ſolo oſtenſo experimento, quos lubens ſe daturam, eadem Sacra Maieſtas mihi Lincij, anno præuio ſanctè eſt profeſſa: Deſpexit, Neque vlterioris auri cupidine Monarcam acceſſit. Dicet aduerſarius à Diabolo miſſum ad pijſſimum, ac Sanctiſſimum Cæſarem decipiendum. Sed inſulſum obijciendi genus: En Iupiter in machina, ad ſoluendum Tragœdiæ nodum. Appage ſis cum Diabolicis illuſionibus, ante millenos: Vbi vnquã auditum, Diabolum integro virorum, & Religioſorum, & cordatorum conſeſſui illuſiſſe? Circumfertur in hunc diem, Aeri inciſa, cuſi Numiſmatis forma; & hæc Autori ignota? Sanè dum hic volumina ederet, hæc agebantur, vt re, inanis oppoſitio confutaretur.

Qua-

Quare non omnia vana, ficta, aut deceptoria fuerint metallicæ transmutationis experimenta.

Non ergo prolixior ero in confutãdis oppositionibus, quas is contra vulgata experimenta molitur, sed argumentum ad formam syllogisticam redigam, vt aduertatur bonitas consequentiæ. Impius fuit Paracelsus, Bernaudus fuit (fortasse) is qui de tribus impostoribus impium librum conscripsit, ergo Chrysopœia est impossibilis; Sed dices, minorem in qua tota vis argumenti latet, a me callidè omissam; Subsumendum erat namque, atqui hi dicuntur Aurum confecisse, ergo de talibus nebulonibus nihil credendum. Hoc est validum argumentum; ò insulse librator. Fateor me non adeò fuisse oculatum, veniam peto, ideòque aptiùs argumentum in formam redigam. Barnaudus fuit impius, Paracelsus scelestus, Arnaldus ac Rupicissa vani, quia Prophetiæ donum affectarunt; Lullius dicitur à Paracelso, & quibusdam medicis Anglis, sophysticum, non verum

eo:

aurum confecisse, atqui hi fuerunt Primipili Alchymistarum, ergo omnes Alchymistæ sunt nebulones ciniflones, sycophantæ, hominum nequissimi; Ergo Alchymia seu Chrysopœia est impossibilis. Ecce argumentum in forma, in Barbara, in primæ figuræ primo modo, concludens euidenter. Itane? Si omnes artes percurram, omnes sciẽtias, vbique viros inueniam in ijs excellentes, qui tamen sensui, ac vanitati dediti, moribus non omninò laudabilibus fuerunt obnoxij: neque tamen licet inferre, aut omnes fuisse huiuscemodi, aut Scientias fallaces, aut impossibiles Artes. Quot extitere impij Theologi, Philosophi, Iureperiti, Medici, Mathematici, Oratores, Poetæ, Grammatici; quorum alij hæretici, alij Athei, alij voluptatibus dediti, alij Auaritiæ, alij alijs vitijs proprijs nominibus notas inussere, an propterea, omnes tales? Hæ scientiæ, & artes impossibiles? Damnabiles? Rationibus Physicis est agendum; ostendenda impossibilitas, non instituenda in Artifi-

ces inquisitio, de vita, & moribus; hoc enim non est Philosophum agere, sed detractorem; non Impugnatorem, sed Calumniatorem. Data igitur maiori, & minori, negatur consequentia; Primò enim, maior non est vniuersalis, vniuersalis est consequentia; regula autem est logica, a præmissarum altera particulari, non licere concludere vniuersaliter. Insuper, nullus est in syllogismo medius terminus, ergo non benè infertur consequentia. Vis argumentum in Darij? Posita ea maiori, pro vniuersali fiat hæc minor; Atqui tales nequeunt Aurum confecisse verum, ergo illis fuit Alchymia impossibilis. Ad hùc minor erit dubia, ex iam ante dictis; sed etiam datà minore ac consequentia particulari, nunquàm vniuersaliter, & absolutè licebit concludere.

Vt portò omnis Chymici artificij ostendat peritiam, reticulatam quandam adiungit tabellam, quam combinatoriam vocat, & in ea, ex altera parte metalla, titulo, *Perfecta*, Aurum, Argen-

tum, Cuprum, Ferrum, Stannum, Plũbum, Mercurium ponit; Ex altera quædãm, quæ *Imperfecta* inſcribuntur, & ab his lineas ad omnia metalla iam dicta ducit, vt doceat, quomodo imperfecta, perfectis ſint miſcibilia, vbi curioſa viſu Aeri inſculpta reticularis figura perbellè componitur. Sub titulo igitur imperfectorum hæc continentur Mercurius (hic ergo, & Perfectus eſt, & Imperfectus) quia, inter Perfecta vltimo, inter Imperfecta primo loco ſtatuitur; Eſt igitur bonus cum bonis, malus cum malis.

Sequuntur Sulphur, Arſenicum, Auripigmentum, Marchaſita, Antimoniũ, Cinnabaris, Sal commune, Salnitrum, Alumen, Vitriolum, Sal Ammoniàcũ, Sal Gemmæ, Aerugo, Tutia, Gelamina, Biſmutum, Cadmia, Talcum, Tartarum, & demum vini Spiritus, quæ omnia eſſe docet, quibus vtuntur Alchymiſtæ, ſiue ad Lapidis fabricam, ſiue ad metallurgicam, ſiue ad ſophiſtica, ideoq; hanc eſſe Synopſin Anacæphaleticam, ad onnigenas operationes

Chy-

Chymicas, ita dispositam, vt omnia omninò in ipsa contineantur, neque extra ea quidquam reperiri, quod vsui Chymico accedat.

In hac ego tabula, ordinem primò non laudo, dein plura longè desiderantur, quibus Chymici vtuntur, vt propterea synopsis sit longè defectiua. Ordo sanè requirebat, vt post Mercurium ea locarentur, quæ de ipso participant, deinde sulphurea sulphureis, salinosa salibus, aluminibus aluminosa subderentur; hic tamen confusus est ordo.

Insuper plurima desiderantur; veluti namque Aeruginem, ita & Ferruginem poni opportuit, Sal AlKali, Vitrũ, Lapis Lazuli, Lapis Hematites, Lapis Calaminaris, Aes viride, Acetum destillatum, Oleum ex vitellis ouorum, Tartarum, Cineres, Sal fuliginis, Oleũ eiusdem, Smegma, & alia sexcenta, quæ pro fusione metallica, pro dulcificandis crudis metallis, eisdemque conciliandâ malleabilitate, vsuvenire solent; ita Oleum Lytargirij, seu Cerussę, quia

quia licet è Plumbo oriantur, quia tamen Aeruginem posuit; quæ procedit ex Aere, ita videbantur addenda, quæ ex alijs metallis procedunt. Ita pro cupro tingendo in Aureum colorem ZinKum, seu Zinetum, aut Piauter, & alia.

In hac tabella, ostendit se nihil de Philosophorum Mercurio intelligere; siquidem posuisse se asserit omnia, siue ad Lapidem Philosophorũ, siue ad alias operationes Chymicas conducentia, Eum tamen omisit, nisi fortasse velit, aliquid eum esse eorum, quæ in synopsi continentur, quod omninò est falsum; veluti namque in omnibus continetur, ita ex eorum nullo potest haberi, & si haberetur, esset inutilis.

Terminata discussione metallica, ad pœnas in Alchymistas latas se conuertit, vt sciant laborantes, nisi tentamine Lapidis aurificii abstinuerint, sibi à legibus viam iri præclusam: Quare primò, extrauagantem Ioannis XXII citat, quà pœnæ constitutæ sunt ignaris, deceptoribus, ac scelestis hominibus,

non

non tamen Philoſophis: ſed quid inde? Pœnæ à Concilijs conſtituuntur, Hæreticis, non Theologis; Ariolis, non Aſtronomis, aut Aſtrologis veris, licita prædicentibus, ac naturalia, neceſſaria, non libera; Circumforaneis, non Medicis, abutentibus Sacramentalibus, non vtentibus ad pios vſus. Pœna capitis, prohibentur homicidia inter ciues, non inter hoſtes, iuſto bello: Pyratica inter Chriſtianos, non contra Turcas; ſed Oppoſitor ſemper vtitur eodem prorsùs arguendi genere, nimirum à ſecundum quid, ad ſimpliciter. Legat & intelligat Canones, dein opponat.

Omitto deciſiones Iuris, quibus dãnatur Aurum ſophiſticum, eiuſq; venditores, ac operatores. Namque quis vnquam adeò rudis eſt, qui ignoret, Aurum ſictitium, deterioris eſſe conditionis naturali? quis neſcit impurum deterius eſſe puro? alienis metallis ligatum, ſimplici? ſophiſticis tincturis imbutum, imperfectum eſſe? ideòque tutà conſcientià, pro vero, ac genuino

diuendi non posse? Non egent Philosophi, his decisionibus; hæc satis superque norunt, neque illà canonum ac legum admonitione indigent: Si contra sophystas agitur, omnia concedo; si contra Philosophos, omnia nego. Conclusio igitur quà negatur, verum fuisse Aurum, quod à tot magnis viris arte Chymicà factum, libris, ac testibus fide dignis innotuit, quà facilitate deducitur, eàdem negatur; imò maiori longè veritate: omnia namque testimonia, omnes canones, omnes citati textus, expresè de Auro sophystico loquuntur, & cum distinctione expresà, quod & ego lubens, sciens, volens, cōcedo; sed quod vera fieri non possit transmutatio, neque vnquàm probatū est, neque probabitur, neque aliquà vel apparente ratione, est demonstratum; nullo argumento, nisi fallaci deductum, nullà auctoritate comprobatum; quare ex hactenùs disceptatis, liuor potiùs in Artem ignotam elicitur, quàm vel minima apparentia, eius impossibilitatis; ideòque odium veriùs

in eos qui non clarè ſcripſerunt euincitur quàm vt eius inutilitas comprobetur.

C A P. XIV.

In quo, ex Auctoritatibus, ab Authore in contrarium adductis, Arcani Physici veritas, elucidatur.

PRofitetur Philoſophorum Antagoniſta vltimo capite, recapitulationem quandam, ſeu Anacæphaleſim dictorum hàctenus recenſere, & operire, quid propriè fuerit apud Veteres Philoſophorum lapis, & quid priores Philoſophi, eorumque ſectatores per eum intellexerint. Vt igitur veluti ab ouo, rem ordiatur, ſatis oſtédiſſe ſeſe inquit, magni ponderis rationibus, neminem hucuſque fuiſſe, qui per tranſmutationem veram, & realem, Mercurium, aut alia imperfecta metalla, in verum Aurum conuerterit, ſed omnes Alchymiſtarum operationes, ſophyſticas extitiſſe; & ſi qua vnquàm

extitit operatio, in quà verum, ac naturale Aurum prodierit, fuco, ac fraude in opus fuisse introductum.

Huius præludij falsitas, satis ex hàctenus discussis, ac ponderatis apparuit; vbi ego nunquàm negaui, multa per fraudem à scelestis hominibus fieri potuisse, ad decipiendum, composita, attamen quæ a Philosophis, Viris probis, ac veracibus acta fuere, vera, realia, sincera, naturalia, & infallibili trãsmutatione, acta fuere, idque iterum, iterumque repeto, nec vnquam Opponens aut probauit, aut conclusit legitimè, malè attentatum intentum. Etenim qui de transmutationibus scripsere, Viri Magni fuere, & quibus scelestorum hominum fraudes, ac imposturæ, æque bene ac Antagonistæ perspectæ fuere, neque eidem, aut sagacitate, aut ingenij præstantià, ac perspicacià vel tantillum cessère. Quare in hoc nullà dignus est fide, maximè cum omnia perperàm hucusque docuerit: quinimmò ipse non aduertens, palinodiam recantare videtur, vel ad minimùm,

mùm; manifeſtæ contradictionis conuincemus.

Miſſam itaque facio recapitulationem, quam hoc loco ponit de falſitate Auri confecti à Philoſophis, quos citat nominatim, nempè Lullium, Arnaldũ, Rupiciſſam, Iſaacum, Baſilium, Ripleũ, Sendiuogium, Paracelſum, deque fruſtraneò eorum labore, qui in libris Philoſophorum ſtudijs dant operam, quos ſiue Chymicum Theatrum complectitur, ſiue extra ipſum vagentur; ſimiliterq; manus ſcripta innumera damnat, cum omnes æque impoſtores eſſe velit, ac perditos nebulones. Bonà tamen veniâ, quod ſuprà me præſtiturum promiſi, de Raymundo, hoc vnum accipe.

Robertus Conſtantinus, Author celebris, qui ſuperiore ſæculo vixit. Pariſijs nomenclatorem edidit, in quo Illuſtres plurimos viros recenſet. Inter quos de Raymundo Lullio, hæc habet. *Raymundus Lullius, ſcripſit, (inter cætera multa) de ſecretis Naturæ, ſiue quintâ eſſentiâ. Hunc ego inquirendo, comperio apud Anglos, re quidem verâ præſtitiſſe quod in*

suis libris pollicetur, & in Arce Londinensi iussu Regis, probatissimum aurum confecisse, mihique genus nummi ostensum est, quod adhùc appellant, Nobile Raymundi, Auri videlicet Puri, & Obrizi, Summæ Iudicaturæ. Non ergo Sophysticum, quod in auras euanescit; Summæ Iudicaturæ; Obrizum: genus nummi extitit; Aurum Nobile Raymundi. Præstitit re, quod scriptis promisit. Huic fidem habeo; viro non Chymico, Historico, cuius nihil intererat, verum ne, an Sophysticum fuerit, quod confecit Aurum Raymundus; sincerè refert. Non fuit illusio, Rosa nobilis, quam vidit; fuit numisma reale. Ergo fuère qui Mercurium in Aurum verterunt; ergo non benè, neque validissimis rationibus est ostensũ nunquàm factum. Quo posito, omniũ rationum pondus, etsi leue, proprià mole ruit. De Arnaldo, ex Iohanne Andrea, supra retuli; de reliquis vt de Paracelso, ex Ioanne eius famulo, ex Maiero iam dictum; singulos omitto, attestato Pragensis Auri contentus.

Authorum porrò testimonia ad ostẽden-

dendam, ex ijs Lapidis impossibilitatẽ adducam, vt liquidò constet, quàm parùm scitè contrà Alchymistas ostentet, quæ pro ipsis Philosophis omninò faciunt. Quia itaque promisit ostensurũ se, quid Veteres pro Physico Lapide intellexerint, Ab Hermetis Trismegisti laudibus exorditur.

Mirum est, hunc inter seductores nõ numerari, cum inter Chymicos primas teneat, eiusque Tabula Smaragdina, omnium Chymicorum fundamentum habeatur. Sed Diui Hieronymi censuram, ac authoritatem forsam reueritus, seu potiùs conscientià tactus, summi huius Viri laudibus, non valuit officere. Quid de eo sentiat, audiamus; dein in eius doctrinam inquiramus. Sic igitur ille.

Mercurius Trismegistus, totius reconditæ doctrinæ Author, cum abdita quæuis in Naturæ Maiestate elucescentia, summà ingenij subtilitate penetrasset; ne tanta in mundanis recessibus Sacramenta, cuiuis obuia fierent, ingeniosam illam hieroglyphicorum Architecturam exorsus est, quà singula magni mo-

menti mysteria, sub symbolis quibusdam, ad Pātamorpha Naturæ similitudinem excogitatis ita recondidit, vt tamen ijs quos dignos iudicaret, & sibi ingenij perspicacitate similibus, haud imperuia relinquerentur. Vnde electis in hunc finem Sacerdotibus, ac Philosophis, quibus vnica ad Regni solium spes erat, mentis suæ arcana, per dicta symbola expressit; ne vnà secum, tanta inuentarum rerum emolumenta interirent, communicauit, saxisque contra omnem temporum iniuriam, incidi curauit.

Explicare dein aggreditur, quidnā in eà scientià contineatur; nimirum admirandus orbis ordo; Cœlestium cum terrestribus, mira combinatio, ac analogia. Quemadmodum enim Superior ille Mundus Solem, Lunam cæterosq; Planetas habet, ita pariter, & Inferior eàdem constituitur ratione. Quemadmodum igitur Sol, præstantià suà, cætera sydera superat, ita & in metallis eandem Auro attribuisse naturam, inter omnia metalla, ac mineralia summà perfectione constantem. Hinc per Solis symbolum, quadruplicem Solis typum

pum referre, Archetypi ſcilicet, Genialis, Cœleſtis ac Mineralis, & ita omnia Arcana, ſub quadruplici Analogià contineri; quapropter, quæcunque de Supremi Numinis Diuinitate myſteria traderet, eadem ſuo modo, de Genialis mundi myſterijs, ſyderei, & Elemẽtalis, intelligi poſſe. Hiccircò, *cum in Vniuersà Naturà, metallicis operationibus, nihil mirabiliùs cognoſceret, modum quo in ijs generandis Natura procedit, ſub ijſdem myſterijs, quibus ſupremi Numinis cæterorumque mundorum Sacramenta exhibuit, quem poſtea Græci ſequuti, Naturam rerum haud abſimilibus ænigmatibus abſconderunt.*

Fatetur igitur, nihil eſſe mirabiliùs in naturà, metallorum geneſi. Quid rogo eſt in ijs peculiare, quod non ſit in Vegetabilibus, aut in Animalibus? an non Natura, eadem eſt in omnibus? vt quid metallorùm geneſim, præ Animãtium generatione, hieroglyphicis expreſſit? ſanè nobiliora genera fuerant in natura indaganda. Longè namque mirabiliùs eſt, inueſtigare quo pacto, humanum ſemen, tam admiranda organa

gana in humana generatione formet, quàm quo pacto mineralis aqua, vi sulphuris coaguletur, in corpus homogeneum, cum & aqua in glaciem ex frigore concrescat, & terræ mixta condensetur in lateres. Si igitur, ipso fatente, nihil mirabiliùs est in Naturà, metallorum genesi, ergo aliquid est in ijs, quod non ita in cæteris elucet. Quid illud?

Huc inquit respiciunt fabulosæ narrationes, de Osiride, Iside, Orco, Typhone, omnisque Græcorum mythologia. Omnia igitur ista, elementales mũdi operationes indigetant? cur igitur supra, Chymicos redarguisti, quod fabulas, de Aureo vellere, de expeditione Colchica, aliaque similia, generationi lapidis attribuant? an lapidis generatio, alienum quid est, a mundi elemẽtalis operatione? an non Philosophi, hanc elementorum scientiam appellant? ergo idipsum supra redarguisti, quod modò probas. Prosequitur discursum historicè, aitque hinc ad Animalia, ac Vegetantia gressum factum,

& Osirin, Nydron, seu petram ignitam, omnia virtute suà peruadentem, Vulcanum, subterraneum ignem, omnia corrumpentem, restaurantemque vocatum. Hæc omnia, ex Comitis Natalis Mythologia aptissimè sunt excerpta. Sed quis illæ Vulcanus, omnia corrumpens, ac restaurans à Chymicis sapienter vsurpatus? an non ipsorum aqueus ignis? sine quo in Natura nihil omninò fieri posse conceditur?

Profitetur deinde Hermetis tabulã, siue Smaragdinam, vniuersæ Naturæ processum continere, rerumque generationem, ac corruptionem, quam tamen, quia licet ad placitum fuerit interpretatus (sed minus aptè) neque nisi valdè remotè, & sensu alieno, nisi exponatur de lapidis opificio, subdit eam esse suspectam (nimirùm sibi) eoquod ante Lullium à nullo scriptorum, eius facta fuerit mentio, neque in Arabum monumentis insertam reperit: quasi verò, ipse omnium Arabum monumenta viderit, eoquod Arabicorum voluminum, sibi copia ingens sit ad ma-

nus: quare nemini dubium esse oppor-
tere, quin sit suppositicia.

Non capio huius doctrinæ consequentiam. Hermetem fatetur, omnem scientiam omninò possedisse. Vnde cõstat, Hermetem fuisse, cum de characteribus, quibus immediatè post Diluvium scribebatur, non constet? ipse namque hoc obijcit, vt tabulæ fidem dubiam reddat. An Hermes hic fuit propè diluvium? sanè Abrahamo dicitur coætaneus, non ergo adcò propè Diluvium, siquidem Abraham, extitit annis circiter 450, post Diluvium, ergo iam characteres adinuenti fuerant, quibus scriberetur. Pimander sanè, Hermetis opus habetur, nemine refragante; quibus rogo caracteribus exaratus? Arabes, quos asseris de Hermetis tabula nil litteris prodidisse, quo quæso tempore extitère? si longè post Hermetem, quis eis de Hermete retulit? si proximi, quibus characteribus scripsère? An Prophetiæ spiritu, vt Moyses de Mundi origine, ita hi de Hermete fuerunt edocti? Lullius inquit primus

T. 2. pag. 314.

eius

eius meminit. Igitur ideò supposititia? quia scilicet Raymundus, Chymicus Author, propterea Nebulo, Mendax, Impostor, eius retulit, eamque est interpretatus? bene est de Authore Subterranei Mundi non meminisse Lulliũ, alioquin hic non extitisset. Raymundus ipso teste, Arabicam linguam nouit, æque benè ac Opponent: libros æque bonos, ac authenticos habuit, & fortè meliores, quàm idem, cum eius tempore Hispaniæ à Mauris, ac Saracenis passim detinerētur, in quibus viri doctissimi extitère, cur potiùs Opponenti credamus quàm Lullio, hanc tabulam non extitisse, quam Lullius extitisse affirmat, & interpretatur? non, inquies Raymundo fides habenda, impostor est, Aurum se confecisse dicit, quod ego non credo; transmutationē metallorum docet esse possibilem, quã ego impugno, & hoc solo titulo, nullã fidem meretur. Si Antagonistæ potiùs habenda fides, & quo iure, ex dictis liquet satis. Hoc vnum addo, ex eius discursu, necessariò dicendum eam tabu-

lam

lam (vt eſt) eſſe Hermetis; ſi namque hieroglyphica, ſuperiorum cum inferioribus Analogiam referunt, & ea sũt Hermetis, hæc eadem continet tabula, ergo & eſt Hermetis; & in ea explicuerit, hieroglyphicorum ſenſum, non minùs arcano dogmate, quàm ipſa hieroglyphica referant.

Aſſerit poſtmodùm, Arabes poſteros, non intelligentes verba Priſcorũ Philoſophorum, quibus rerum omniũ vim motricem, quam Solarem, ſiue Solem intellexerunt eſſe, ipſi verò Aurũ, eiuſque catacriſim, ſiue eius conficiendi rationem intellexiſſe. Profectò, qui ita intellexère, aliquà præcognitione de hoc habità, id feciſſe opportet; cur etenim de Ariſtotele, nemo intellexit ipſum cum de rerum generatione loqueretur, docuiſſe Auri conficiendi rationem, ita verò, Hermeti obueniſſe vt in eum ſenſum traheretur? niſi vel ipſius Tabulæ ſenſus, vel Hieroglyphica, vel aliqua traditio id inſinuaſſet?

Dicit Arabes poſteros Hermetis interpretes, de metallorum tranſmutatione

tione

tione loqutos. Rogo an Arabes isti, fuère nouissimi, an veteres. Si veteres, iam Alchymia lógè vetustior est, quàm ipse fingat. Si nouissimi igitur nemo à tribus annorum millibus circiter, extitit Hermetis interpres, & ipsi Authori reseruata est eius interpretandi gloria? ipsi vni. Nostro Aeuo verus Hermetis sensus innotuit? & nulli extitère Sapientes, aut Sacerdotes, qui traditam sibi ab Hermete Hieroglyphicorũ notitiam per manus traderet, & transmitteret intelligenda nepotibus? Obelisci, duobus annorum millibus, in Aegypto commorati, antequàm Romam deferentur, Arabum Sapientum neminem habuere, qui eorum interpretationem susciperent? hic vnus Oedipus huic Sphingi reseruatus? Sed ad rem: eius interpretata, perpendamus.

Dicunt, inquit, *quod scientia vniuersalis Alchymia nihil aliud sit quàm exigens, & exactum, concupiscens, & concupitum, quærens, & quæsitum. Ita Omam.* Obseruo ex his Arabum verbis, varias fuisse opiniones, de essentia Alchymiæ; ergo ante

te Omam, iam de ea erat quæſtio. Scire autem cuperem ego, quo tempore Omam vixerit, vt ex Chronologia, aliquod ſolidiùs argumentum de vetuſtate Alchymiæ, deducere poſſem. Obſeruo prçterea, Alchymiam dici Scientiam Vniuerſalem, non ergo ſolius Auri conficiendi peritia; Ergo Alchymiſtæ, Vniuerſali Scientià erant prædîti, ergo Philoſophi; ergo non Aſini, non Impoſtores, non Nebulones, non Combinandarum rerum ignari.

Obſeruo tandem, in his verbis exprimi Scientiam Vniuerſalem, in qua agitur de virtute actiua, ac paſſiua rerum omnium: cum igitur omnia naturalia, analogiam habeant ad inuicem, ipſo Antagoniſta Authore, qui vnius rei peritiam exactam habuerit, omniũ habebit: & hoc eſt quod Sendiuogius dicit, Lapidis magiſterium agnoſcentem, nudam contemplari Naturam; cũ in eius opificio vnum vniuerſale rerum omnium principium, quod Author ipſe inferiùs, Panſperma (& benè) appellat, concurrat; adeò ab omni alienà re

de-

defœcatũ, vt ſimplex Natura dici poſſit: immò ſit in re ipſa; etenim ipſum ſemẽ, Philoſophus, Genituram, & Naturam appellat. Sed pergamus, examinãdo Arabicum textum, qui ſic habet. *lib. 3. de gen. anim.*

Dicit Hermes, quod dicta Margarita, in omni exiſtit, & eſt aqua viua perpetua, primordialis, inueniturque in omni re, & in omni domo. Beatus cui contigerit intelligere, ſecretum eius, & conuenienter, eà vti. Dixit autem Mercurius, omnia quæ in mundo ſunt, pluris venduntur dictà aquà, eſt enim apud vnumquemque, & vnuſquiſque indiget eà. Eſt apud eum, nec deſerit illum, neque egreditur ſpiritus eius. Dixit Aba Amil, de dicta aqua differens, quod hæc inuenitur in omni loco, in vallibus, campis, montibus, & apud pauperem, & diuitem, robuſtum, & debilem; eſtque hæc parabola, quam omnes ſapientes reſpiciunt, & eſt ſpiritus humidi.

Antequam hanc ex Arabico verſionem, ex Authore noſtro vidiſſem, iam omnia in ea contenta legeram in Arnaldo, & in omnibus Chymicis Authoribus, qui nihil aliud vulgatiùs habeat,

in ſuis libris; vt quemcunque aperire libuerit, impoſſibile ſit hæc verba non protinùs offendi. Quare actum egit, cum in eius traductionem incubuit, quaſi novum quid in lucem editurus.

Vera ſunt; imò veriſſima, quæ de hac aqua vniuerſali, de eius vi ac virtute habetur in textu. Addo ego aquam eſſe ignem, ſiue naturæ igneæ; perindè etenim Philoſophis eſt, ignis, an aqua dicatur; dum doceant ſuam aquam, eſſe ignem per totum; aquam eſſe ignem, & ignem aquam; vulgus per ignem cremare, ſe cremare per aquam. Quæ igitur Autor dicit, non dicit à ſemetipſo, ſed è Chymicis libris deſumpſit; è libris eorum, quos nebulones, impoſtores, Philoſophiæ ignaros decantat.

Fatemur ita eſſe. Sed rogo; Arabicus hic textus, quem Autor pro ſummà ſuà Orientalium linguarum peritià, latine fidei reddidit, vnde nam Arabes habuère? ſi ex Hermete; quo rogo caractère, quo idiomate exaratus; cum eius tempore poſt Diluvium, non conſtet quibus uterentur litteris; ut propterea

tanta ſit, inter Authores controuerſia; ideòque multum id noſſe interſit? Cęcos, dicit Antagoniſta, qui hæc non vident, & ipſe in his cæcutit? et tamen nobis ea indicat. An fortaſſis hæc verba habebantur, in Obeliſcis inciſa? maxima igitur erit Alchymię vetuſtas, quę in Obeliſcis continetur; Attamē nihil de metallurgica, in his eſt videre. Plinius, Solinus, Aelianus, non meminère de Chymica; meminerint Arabes, & ij, a quibus Lullius Smaragdinam tabulam habuit, quam latinam redderet, ex Arabico. Multarum ſanè rerum hi Authores non meminère, quæ tamen fuerunt; & ſi omnium opportuiſſet meminiſſe, defeciſſet eos vita, cera, carta, papyrus. Non ergo currit argumentū, Solinus, Aelianus, Plinius non meminère de Alchymia, ergo Alchymia non extitit. Concludat, ergo eius non habuere notitiam; vel de ea non ſcripſerunt, quod longè veriùs. Modò ad expoſitionem textus, quam Author adhibet accedamus; quæ talis eſt.

Hanc admirabilem Naturæ vim, quæ in

igne, seu calore, siue cœlesti, siue elementali consistit, nullo non tempore, vetustissimi omnium Aegyptij considerarunt, radios quidem Solares viuificos, digitos Osiridis, omnium dispositores, dixerunt. Naturæ verò tanta patrantis, Isidem, idest prudentis Naturæ progressum, vt Plutarcho placet, quà omnia quæ videntur efficiuntur, appellarunt: & hanc quidem Isidem, in Cœlesti Mundo Lunam, in Elementali Rheam, siue Lunam subterraneã dixerunt: vt proinde Aegyptij, minimè Alchymiam, quà per transmutationem aut Mercurium, aut aliud quodlibet metallum, in Aurum conuerti posse indigitauerint.

Post hæc afferit, *indigitari dũtaxat, prudentem, & admirabilem Naturæ progressũ, in Auro, & Argento, cæterisque metallis, in intimi Typhonis Regno, tum extra eum, Vegetabilium, & Animalium œconomia producendis, & consequenter in metallurgiam, & Bottaniotriam, tantoperè vsui humano necessariam*. Et has duntaxat, innumeris ænigmatibus, ac parabolis, Græci Sapientes Alchymistæ, *nullo non tempore absconderunt*. Ostendit dein, naturalem modum, quo Natura in metallorum, seu

ſeu Auri productione ſeruat, ibique omnes explicat operationes Alchymiſticas, quæ in lapidis fabrica concurrũt, eaſque adaptat. Benè quidem, cum etenim lapidis operatio Naturalis ſit, & eas operationes quas Natura tenet ipſe admittat, nil mirum in ea omnes reperiri. Quia tamen, omnem Alchymiam, in ſola operatione Naturæ collocat, itaut artem nihil ei ſubminiſtrare poſſe videatur arbitrari, totum proceſſum exſcribere decreui, vt ipſum ex ipſius verbis examinemus. Poſito igitur fundamento, ex Philoſopho, vbi habetur Cœlum lumine, ac motu in his inferioribus operari. Ita proſequitur. 2. de Cœlo.

Fieri autem non poteſt, vt humanà induſtrià, calor ita temperetur, vt quem Natura in Auro producendo adhibet, illum Alchymiſtæ adæquent, cum Natura in omnibus rebus ſuis producendis, (a) *æquabili calore, & quaſi in indiuiſibili conſiſtente vtatur. Falluntur itaque in operationibus ſuis, cum vel ipſa minera* (b) *& matrix nil aliud quã tenuiſſimus ignis ſit, ſiue ſal Naturæ ſulphureo mercurialis, qui ex potentià in actum de-*

ductus, tandem Aurum generat; mixturam (c) nempè aere, aquà, terrà constans, quæ per Salino sulphureo Mercurialem vaporẽ, humidi resolutione purificata, in cinerem(d) ignitum, per salem ei inexistentem conuertitur. Atqui hoc (e) est, elixir illud album in rubedinem versum, idest, per ignem ampliorem continuò succedentem, quod Aurum Philosophorum, & (f) aquam permanentem, ignis tormentum, (g) nutrimentumque vocant: idest illud humidum radicale cineris, siue aqua permanens, in illo calore ignis, qui loco animæ, & spiritus (h) Viui, seruit; a Mercuriali humido differt, tanquam stabile, ab instabili, fixum à non fixo, vtpotè quod in fundo vasis (K) non persistat, sed in fumum resoluitur, fugitivumque lauat combustibilis materiæ nigredinem, & fœtorem, quem insitum habent partes sulphureæ & pingues, cineri inexistentes, dum in fuliginem nigrã abeunt, quam Alchymistæ, terram (l) damnatam, volatilem, fœtidam, putridam, sulphurque combustibile dicunt. Contra verò cinerem calcinatum, ob salis fixi copiam, sulphur dicunt incombustibile, siquidem igni appositum, purificatumque tandem in vitrum

con-

conflatur: atqui huiusmodi cineres sapientes, Salamandram, vtpotè quæ igne viuat, & nutriatur in illo appellandam censuerũt: Alij quoque Phœnicem (m)*dixerunt, eoquod cineres accensi nil aliud sint, quàm corpus illius Phœnicis, quod ex proprio cinere resuscitetur, & renouata viuat. Atqui huiusmodi ignis à sapientibus denotatur, per Draconem illum terribilem, qui omnia deuorat, & in se conuertit, vti per Basiliscum, omnia interimentem: eo enim ipso, quod* (n) *cinis sit ignitus, hoc ipso in eo existit calx viua, Sal Sulphur, & Argentum viuum. Atque hoc est, iuxtà mentem sapientum, suscitare mortuum, & occidere viuum, idest talem cinerem priuare* (o) *vita, quæ est coniunctio Orientis cum Occidente, cæli, & terræ, spiritualis, & corporalis, coniunctio Solis, & Lunæ, cum flamma clara sit ipse cinis, & aqua volatilis, quæ in se gerit fumum rubrum, & hic tandem decoctus in fundo vasis chymici fixatur. Atque hæc est aqua quæ dealbat, quæ denigrat, quæ viuificat, occidit, sublimat aquã, calx dissoluens, & coagulans, putrefaciens, & corrumpens, & in genera diuersa à ligno degenerat, & teste Philosopho, apposito igne*

combustibile, crescit in infinitum. Atqui hic est primus Naturæ processus, ignis videlicet, & Naturæ, quem sub varia symbolorum adumbratione descripserunt Sapientes.

Hic est processus ab Authore adductus, quo veram mentem Philosophorum, de eorum Lapide aperit, elucidat, explicat, applicat. Pro cuius confirmatione, varia Philosophorum testimonia adducit, quibus docemur, eorum ignē esse communem, facilem, vilem, vnicū solum, præter eum, nullo indigere, de quo plenissimi sunt Chymicorum libri, quos ipse in testes huius pulcherrimi processus adducit.

Deus bone. Quot nugæ, quot contradictiones, in paucis his verbis, quæ Chymerica dictorum, ac sensus inuolucra, quæ confusio!

Primò, negat Alchymistas, posse ignem ita attemperare, vt assimiletur Naturæ, *quo ipsa vtitur, in Omnibus rebus suis producendis* passu (*a*) atqui potest Artifex, ita attemperare calorem in aliquibus, vt omninò ea operetur, quæ operatur Natura; ergo falsum suppositum.

tum. Explico; si idem caloris gradus, adhibetur à Natura in omnibus rebus suis producendis, ergo in omni Regno tàm Vegetabili, quàm Animali, ac Minerali, eodem vtitur; quod namque de Omnibus dicitur, verificatur de singulis, atqui in Vegetabili, ac Animali, potest eum adæquare, ergo & in Minerali. Maior, est Aduersarij; minor probatur; artificiali calore, hyeme producuntur Flores, Fœniculi, Asparagi, Cardui, & similia; Oua beneficio artificialis caloris, Pullos excludunt, ergo potest hic calor haberi in regno Animali, & Vegetabili, atqui idem est in omnibus, ergo & in Minerali. Sed leue est falsitatis côuicisse hoc primum suppositum. Ad Magisterium accedamus.

Primò igitur dicit, quod matrix vel minera nil aliud sit quàm tenuissimus Naturæ ignis passu (*b*), qui è potentia in actum deductus, generat Aurum: ergo idem est Minera, Matrix, & Semen; non enim Matrix è potentia in actum educitur, sed semen; igitur idem est, semen, & Vterus; ò lepidam Philosophiã!

Se-

Secundò passu (*c*) Aurum generatur, ex mixtura Aeris, Aquæ ac Terræ; atqui hæc mixtura non est semen, ergo generatur, non ex semine. Adde, aquã Mercurialem, siue vaporem Sulphureo Salino Mercurialem, esse per ipsum Pãsperma, ergo Aurum non generatur ex Panspermate, hoc enim non est mixtura ex Aere, Aqua, & Terra; sed est cœlestis vis, seu spirituosa cœlestis substantia, in his elementis corporificata; in Sulphur, in Aere, in Mercurium in Aqua, in Salem in Terra.

Passu (*d*) in cinerem redigi docet eã massam, per Sulphureo Salino Mercurialem Vaporem, resolutione humidi, per Salem ei inexistentem; ergo non est ipsa Salino, Sulphurea Mercurialis substantia, materia ex qua conficitur Aurum, ac cætera Metalla, sed est agens duntaxat; quod per Vaporem, purificat, per Salem figit ipsam Terraque Aereã massam, & per Sulphur digerit. Non meminit se docuisse, & docturum Vaporem Sulphureo Salino Mercurialem esse materiam, & non agens? Immò

mò quod paulò ante dixit ex Philoſopho, agens eſſe, Solem, calore ac motu in inferioribus operantem?

Paſſu (*e*, *f*, *g*,) confundit elixir, album, & aquam permanentem, quæ dicit eſſe tormentum, & nutrimentum ignis. Nuſquàm legitur, elixir eſſe nutrimentum ignis, multò minùs eſſe eius tormentum; neque vidi vnquam, tormentum, & nutrimentum confundi; niſi fortaſſe Author, tantæ abſtinentiæ ſit, vt cum ad prandium vocatur, vel ad quodpiam conuiuium, ad tormentum ſe vocari opinetur, vt dicitur de Diuo Bernardo.

Paſſu (*h* & *i*,) docet, humidum radicale cineris, inſeruire loco animæ, & ſpiritus viui, & differre à Mercuriali humido, tanquam fixum à volatili. Vel Mercuriale humidum, idem eſt quod fixum in cinere, vel diuerſum; ſi diuerſum, ergo non eſt ipſum quod figitur: ſi idem, cum cinis ſit ex maſſa ſupra dicta, quomodo factus eſt idem cum vapore mercuriali agente? ergo agens, eſt pars effectus? de hoc dicit, non

per-

persistere, sed in fumum resolui, ergo non est idem cum humido cineris, neque eius spiritus, & anima, ergo non est volatile illud, quod figitur, ergo non differt, solummodò vt volatile à fixo, neque vt superius ab inferiore, sed substantialiter; contra Philosophos, qui dicunt, fac fixum volatile, & iterũ volatile fixum; sunt enim per te substantialiter diuersa, per se.

Adde quod passu (*k*) subiungit non permanere in fundo vasis. Vas per ipsum est tenuissimus ignis, sine Sal Naturæ Sulphureo Mercurialis, quomodo habet hoc fundum, in quo persistat cinis, & à quo subleuetur, fugitivus spiritus? subiũgit lauate hunc partes materiæ combustibiles, dum in fuliginem abeunt, passu (*l*) quam materiam, & terram nigram, & damnatam dicit volatilem tamen; contrarium docent Philosophi, qui terram damnatam dicunt remanere in fundo vasis; ita enim Arnaldus, & Raymundus: *sublimabit ad latera vasis, terra alba foliata, ad instar foliorũ talci, remanente, in fundo vasis, terra damnata*

nata leuissima, propter euacuatum ab ea pretiosissimum semen: & alij; *quod autem remansit in fundo, est cinis cinerum, damnatus, vituperatus* ergo non est terra damnata, quæ in fuliginem abit; quare eam non benè asserit, ab ipsis dici sulphur combustibile.

Peius est quod sequitur, nimirum cinerem fixum, tandem in vitrum abire. Vbi ergo est Aurum? hoccine est, dare metallicæ generationis processum? Aurum tandem in vitrum abit? vbi vnquam audisti Aurum, se solo vitrificari? dicis abire in vitrum purificatum; ergo Aurum non est purum, sed vlteriùs potest purificari; quæ purificatio inseruit ad vitrificandum. Hunc postea Salamandram dicit. An non Aurum se solo in igne incombustibiliter persistit? ergo, vt sit incombustibile, eget vitrificari? omnia imperfecta metalla vitrificantur, ergo eis idem est fixitatis cum Auro. Estne hic Auri processus, quem intendit Natura?

Dicet loqui se de materia metallica in genere. Si ita est, falsum est quod di-

dicit, namque in productione metallorum imperfectorum, non tollitur Sulphur incombustibile, alioquin omnia efficerĕtur Aurum. Vides eum non dare processum, quomodo Natura procedat in generatione metallorum, & præcipuè, Auri? quem scopum sibi præfixerat cum Hermete (si Dijs placet) quem hoc duntaxat intendere profitetur?

Lepidum est quod dicitur passu (*m*) Phœnicem dici, quia cineres accensi nihil aliud sint, quàm corpus illius Phœnicis, quod ex proprio cinere resuscitetur. Quis quæso cinis accenditur in hac operatione? nihil de accensione dixisti: partes sulphureę pingues, aqua mercuriali abluuntur, hic nullà accensio, nulla flamma; e quibus ergo accensis cineribus, corpus hoc resuscitatur? A quo igne qui Draco dicitur, comburuntur in flammam illi cineres; quis est iste Draco? ignis Solis suauissimus? temperatissimus calor? hic corpus Phœnicis cinereum in flammas accendit? ignis Philosophorum, est aqua

eorum, non flammas excitat. Fateor eum ignem esse Draconem deuorantẽ caudam suam, sed non in eo statu, vt tu dicis, sed cum humiditatem lapidis exsiccat: Consentio esse Basiliscum, sed postquam lapis confectus est, quia tunc suo obtutu, omnia interficit; hoc est metalla imperfecta occidit. Potest, etiam ipse spiritus Mercurialis dici Basiliscus, quia omnia putrefaciens, interimit.

Quod sub passu(*n*) dicitur, minùs veritati consentit, neque enim ideò, quia cinis ignitus sit, in eo existit Sal Sulphur & Mercurius; hæc enim eo nondum ignito inexistũt, quia principia semper sunt in principiato, vtpotè semen in ouo, etiamsi ovum nondum sit pullus.

Quomodo vero hoc sit, quod subditur passu (*o*) Sapientes per hoc intelligere suscitare mortuum, & interficere vivum, idest talem cinerem priuare vita, quod est coniungere Orientem cum Occidente, & cætera; & flamam claram esse ipsum cinerem, est Aenigmatum Aenigma; quomodo nãque cinis fixus

dicatur flamma, non video, neque quomodo sit fumus volatilis, habens in se fumum rubrum, cum fumus rubeus, dicatur, seruus fugitiuus; quare repugnat hoc nomen cineri fixo, quem tamen fixari dicis; non ergo ille est, de quo passu (n) Patet igitur quanta sit in hoc fictitio Processu confusio; hoc pacto explanato. Sed ponderemus hactenùs dictà.

Admirandum in his contineri docet Naturæ procedendi modum, ab Hermete obseruatum, in metallorum, præcipuè verò Auri generatione; eumque & Obeliscis insculpsisse, & Sacerdotibus, ac Sapientibus sibi similibus, aperuisse. Rogo, vbi innotuit hic procedēdi modus Naturæ Hermeti? fuitne ipse sub terra, vt obseruarit, vaporem illum esse matricem, quæ ex ea massa metalla conficiat? vbi vidit ille cineres volatiles, fixos, nigros, albos, rubrum fumum, & alia quæ in processu habentur? quid hic admirandum? quid inde? quid rogo vtilitatis habetur ab hac notitia, nisi ad aliquid adaptetur? tantè-

nè

nè molis erat, vt occultaretur vulgo, Solis Sapientibus aperiretur, ingentis molis lapĭdibus incideretur? generantur Animalia, ac Vegetabilia; processus est idem (ipso teste) nemo sciuit de ea aqua, de modo quo coagulatur, quo purificatur, sublimatur, & tamen omnes Philosophi in indagatione Naturę, satis habuère, nouisse quæ sint rerum principia, quomodo coeant, & quomodo in putrefactione, ac corruptione resoluantur. Quid inde, quod fumus albus, ruber, niger existant? quis nesciuit, Omnem agendi vim à Sole promanare? quid curant de digitis Osiridis, Isidis, siue ea in Cœlo sit Luna, siue in terra Proserpina, aut Hecates in Inferno? Quis nescit, ab humido calido putredinem oriri, a sicco concretionem? calidum esse in omni generatione agens, humidum patiens, & cætera ad lōgum enarrata, in quibus, cum nullam singularem efficaciam reperire liceat, non erat necessum occultare, per coniunctionem Orientis cum Occidēte, fixi cum volatili, & alijs ænigmati-

bus, vt Draconis, Basilisci, Phœnicis, Typhonis, & alijs innumeris? Hæc duobus verbis docuit Hippocrates, cum docuit Ignem, & aquam, esse rerum principia: illum motum tribuere, hanc pabulum ministrare. Aristoteles & ipse nouit, omnia fieri ex causis, & intrinsecis principijs, ac elementis calore præcipue, agente.

lib. 1. de Dieto.

Dicit Aristotelem, hanc vim motricẽ Entelechiam appellare nescio quã benè hoc afferatur. Entelechiam dicit Animam, vis autem motrix non est Anima, etenim & quæ Anima carent, modò habeant Naturam, vim habent intrinsecam operandi: namque Anima dicitur, corporis organici actus; Natura, etiam non organici; imò, hujusmodi est Natura, vt habetur Phy. 2. quare nõ benè Entelechia hæc vis appellatur, namque hæc potiùs est perfectio corporis Physici, & organici, quàm operationum principium. Sed ad rem.

2. animæ t. 7.

Phys. 2. t. 3.

Omnes Alchymistæ norunt hæc tam arcana narrata; nemo ignorat, ignem agendo in aquam, eam soluere in vaporem;

rem;

rem ; & hunc terræ mixtum ex parte coagulari, ex parte verò in auras abire; norunt hoc laterum excoctores, & lutifiguli omnes. Aquam verò humidam, non concretam (humidam pro liquida ac currente vsurpaui) lauare omnes sordes, & lotrices mulierculæ norunt; nil igitur in hoc arcani. Dicam ego Arcana.

Quomodo ex illa Cœlesti vi defluà, generetur Sulphur; Mercurius & Sal, quæ in terræ visceribus recepta, à seminibus specificata, in eorum naturam vertatur, ea augeat, ac multiplicet; Quomodo omnia semina, cuiuscunque generis hàc triformi aquà soluantur, calore intrinsecùs inexistente, & extrinsecùs mouente. Et quod præcipuum est, quo pacto hæc Natura, seu aqua haberi possit, quam ventus, seu aer portauit in suo ventre, e Cœlo defluam, quę cum in terram descendit, eam opportet venari, in quo alterum Arcanum latet: Et quoniam terreis impuritatibus afficitur, doçet Hermes quid faciendum, in sua tabula, vt repurgata à for-

dibus idonea reddatur ad omne opus; in quo tertium Arcanum latet. *Separabis* inquit *Terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo ſuauiter, & cum magno ingenio*; namque *vis eius integra eſt, quando conuerſus fuerit in terram*. Huius acquiſitio, purgatio, àc in terram conuerſio eſt Arcanum quod Hermes, quod Sapientes ænigmatibus inuoluère, & in quo operando ipſe ſummus Philoſophus, omnem vim actiuam in Natura obſeruauit. In hac aduertit, quod ſuauiter, *aſcendit à terra in cælum, iterumque è cælo deſcendit in terram* quare in hoc obſeruauit *adaptationes mirabiles* varias ſcilicet operationes, quas recenſuit Author, in ſuo proceſſu, e quorum intuitu, modum quem ſeruat Natura in operando cognouit; in vaſe Chymico ſcilicet Arcanorum.

Non eſt fateor, primum intentum Hermetis, Chriſopœia, ſed conſequitur ab operatione Naturæ; namq; quādo docuit, quo pacto & ex qua re omnia generentur, conſequitur & noticia, de eorundem regeneratione. Quare

qui

qui ita Sapiēs est, vt norit modum quo vtitur Natura, in suis operationibus; norit, quid sit illa Natura, seu quà vtatur substantià, ad rerum omnium productionem; nouerit insuper, quomodo ea substantia haberi possit; quomodo depuranda, & in terream formam reducēda; quomodo applicetur ad opus, ab ipsa Natura, ipse quoque poterit, eandem applicando, opera consimilia exercere; immò cum sciuerit Naturam operari igni duplici; & interno, qui est innatus ipsi Vniuersali semini, siquidē hoc est è cœlesti igneà substantià compositum, & quo calore, nimirum, tenui, assiduo, incessante, moueri conueniat intrinsecum, ille profectò sciet pariter quomodo vlteriùs procedendum in rerum generatione.

Quoniam verò, ipse semina facere nescit, quod neque Hermes sciuit (est namque solius Dei opus;) semina à Natura facta accipimus; & quemadmodū vniuersalis Natura omnia corpora soluit, ut inde semen eliciat, quemadmodum in corporibus seminalibus Vege-

tabilium videre licet, quæ ipsa non ſunt ſemina, ſed ſemen in ipſis latet inuiſibile; ita & in corpore Metallico ſuum ſemen obſeruans, corpus Metallicum eidem Naturæ ſoluendum committit, ut cum eadem procedat eà vià, quà ad cœterarum rerum regenerationem, ac multiplicationem progreditur. Hòc eſt Sapientum Arcanum, in quo poſtmodum mirabiles illc adaptationes viſuntur, quas Author, etſi non benè applicatas, aut explicatas recenſuit.

Pro quo ſciendum; duplici in hoc Arcano Magiſterio opus eſſe; prius eſt, ut conuertatur in terram, primordialis aquea Natura, ſeu Sulphureo Salino Mercurialis aqua; in qua ſunt extraneæ Sulphureitates, combuſtibiles, volatiles aqueitates, terreæ impuritates, quæ omnia tolluntur, non per aquam permanentem, ſed per eam, quæ veluti Phlegmatica aquæ permanenti commiſcetur; tunc enim primùm permanens eſt, quando omni impuritate remotà, pura remanet; & quãdo aqua per-

manens

manens facta est; non est sub forma aquæ liquidæ, sed sub formà salis Chrystallini pellucidi, & tunc est Medicina Vniuersalis, quia est purissima corporificata, & fixata Natura. Et hæc operatio, non fit in aqua Mercuriali, tanquam matrice, in quo errauit Author, sed in vase vitreo Arcanorum capaci; in terra verò vbi operatur Natura, est ipsa terra matrix, neque ex terra, aqua, & aere corpus Auri, producit, sed ipsum semen de iis participat, ex quibus suam corpulentiam acquirit, quare ex puritate, vel impuritate, non aquæ, sed terræ, aut matricis, metalla diuersificantur: idem siquidem Vapor, est in potentia Aurum, Argentum, Cuprum, Stannum, Ferrum, Plumbum, sed à matricis impuritate, vel puritate, alteratur, ac vitiatur.

Quando autem Philosophi dicunt, *Vas Philosophorum, est aqua eorum*, in quo Author deceptus est, loquuntur de opere, regenerationis, seu secundo, in quo regeneratur Aurum, quare, & Morienes dixit, quod *Leo viridis, est vitrum*

viride, seu vas viride, & nisi hoc vas nouissent, nunquam ad Arcanum peruenissent. In hoc igitur vas, recipitur Aurum purum potum, corporeum vulgare, & ex eo fit Aurum viuum, modificatum; quo opus secũdũ, a sola Natura perficitur. Hic nullę sũt fęces, nullę sulphureitates, nulla aqua Mercurialis superflua. In hac operatione fixum fit volatile, & iterum volatile fixum. In hac videtur caput Corui, quod est initium operis, Aethiops, Terra nigra oculosa, sed nulla terra damnata; immò in hac visuntur cineres, de quibus dicitur *Cineres quos videris in fundo, ne vilipendas, quoniam in illis est thesaurus cordis tui, & est permanentium cinis*.

In hac animæ à corporibus segregantur, & iterum in ipsa reuertuntur: occiditur viuus, & resuscitatur mortuus (quamuis hoc, & in prima operatione euenit, vbi spiritus, qui viuus est, occiditur, cum ligatur corpori:) in quo Occidens cum Oriente coniungitur, quando Aurum è putredine reuiuiscit; & alias omnes operationes, quas Chy-

mici

mici fusè enumerant, à quibus eas Author Antagonista desumpsit, sed non intellexit.

Hic est, qui dicitur Phœnix, quia e cineribus proprijs renascitur: hic Salamandra, quia sine vitrificatione in igne incombustibiliter perseuèrat: hic Basiliscus, quia omnia metalla imperfecta occidit, vt meliori vitæ restituat. In hoc est Draco, suam caudam deuorans; ignis scilicet lapidis propriam humiditatem absumens: hic tres sunt vermes, quorum vnus alterum occidit, ac deuorat: prior niger, & est putredo; alter albus cum elementa sunt in albo colore librata, & est finis nigredinis: tertius ruber, cum lapis est omnino in rubedine perfectus, & omnis candor in eum est conuersus; de quo dicunt Philosophi, *cum videritis albedinem, rati estote, quod in ipsa lateat rubedo*: Ecce quomodo omnia clarè, apertæ dilucidè explicantur, & intelliguntur; absq; confusione, ac contradictione vllà, vel minimà.

Allegat post hęc varios Philoso-

phorum textus, qui quoniam, omnia à nobis hactenus dicta apprimè comprobant, eos exscribere nō piguit, licet ipse, penè omnes iam ante citauerim; ille quidem eos contra sophystas adducit, ego pro Philosophis accipio.

Aros in Turba. *Hunc omnis homo cognoscit, & qui non cognoscit, nihil cognoscit.* Omnes Philosophi hunc cognoscunt, vt hactenùs est ostensum.

Morienus. *Res quæ multum valet, non intrat hoc magisterium.* Iam semper id à me repetitum.

Dicunt omnes sapientes. *Cum opere nostro nemo stare potest, neque id tangere sine damno, omnia tingit, omnia corrumpit.* Huiusmodi est aqua Sapientum, in qua omnia putrescunt, vt dictum.

Arnoldus. *Aurum potabile, & elixir rubrum, quod est Aurum Philosophorum, est Aurum potentiale, & inuisibile.* Huiusmodi est semen Auri.

Alfidius. *Aurum Philosophorum, vbique optimè præparatum, & purificatum reperitur; vili pretio venditur, vtpotè quod vnicuique prostet, tàm pauperi, quam*

di-

diuiti. Idipſum ex Arnoldo retuli, & huiuſmodi eſt ſemen Vniuerſale, ſiue humidum radicale Naturæ.

Idem *In Auro hoc Philoſophorum producendo omnes operationes, vno & eodem tempore fiunt*. Dum ſcilicet in terram, vt dictum eſt, in primà operatione vertitur; quia eodem tempore eſt ſolutio corporis; quo coagulatio ſpiritus; ſublimatio, cum fixatione, mortificatio, cum viuificatione, & ſic de reliquis; dum ſcilicet pars ſuperior, inferiori iungitur.

Raymundus. *Sine hoc Auro, quod nos ignem Naturæ dicimus, nemo vitam ſuam ſuſtentare poteſt*. Antagoniſta ex hoc infert conſequentiam; *ergo omnes qui Auro chymico carent, dudum mortui ſunt*. Eam quidem infert per iocũ, ſed non aduertit, ſe idipſũ docere. Dicit enim, Sapientes huius Auri nomine, intelligere uim illam viuificam, qua res omnes efficiuntur, conſeruantur, viuunt; idem docet Raymundus; ergo qui hoc Auro carent, dudum mortui ſunt. Author verum dicit, neque mentitur Raymun-

mundus. Opponit Raymundo hic, quod doceat Aurum Philoſophorum reddere vitrum malleabile. Verum eſt, ſed non in hoc ſtatu, de quo hic ſermo. Et hoc omnes dicunt; nihil noui.

Valgus in Turba. *Sol noſter, conſeruat calidum, & humidum radicale in iuuene, in ſene, illud reſtituit: ignis noſter, coquit omnes cibos qui ſeruiunt nutrimento, calefacit ſenes frigidos, & ſiccos.* Hoc munus eſt caloris naturalis, ſiue humidi radicalis, quare nihil hic dubii.

Turba. *Aurum noſtrum, Sol eſt, Sol luminoſus, qui calefacit, alterat, corrumpit, digerit, generat, rarefacit ſoluit, illuminat cæteras ſtellas.* Et naturaliter hoc verum, de ſolis radijs, & allegoricè.

Clamat Turba. *Aurum noſtrum in infinitum multiplicari poteſt, Aurum noſtrum, ſemper igni, ſine ulla ſui corruptione reſiſtit. Elixir noſtrum, eſt venenum omnium potentiſſimum, quod omnia interimit.* Non ergo ignis noſter, eſt ignis vulgaris, quia non contrariatur ignis ſibi, vt contingat reſiſtere. Quid autem ſit, & quid ſit eſſe venenum, iam ſuprà diximus, ſi-

militer,

militer, & quis sit ignis Sapientum.

Hortulanus. *Lapis, in nostro opere, vocatur omne id, per quod quatuor elementa ab inuicem separari possunt, ex quà separatione, nascitur substantia quædam chrystallina, sicut lapis natus ex quatuor elementis, & cælum dicitur à Philosophis, & quinta essentia: quæ quidem sensibus imperuia est, nisi quando accipit corpus, per coagulationẽ.* Apertum est hoc supra, in explicatione eorum quæ retuli, ex tabula smaragdina; sed Author in suo sensu non explicabit.

Hermes. *Lapis, & Medicina nostra, ignea est, quod enim igni simile, igneum est, & non ignis: quod est aeri simile, aereum est, & sic de alijs. Est ignea, sed non ignis Medicina nostra, sed ex igne, quæ extrinsecè propalàm, sine nostro periculo, bibi non potest; intrinsecè tamen clàm, bibi debet; & viuificat omnia, & exhilarat.* Vocat hic lapidem, eius materiam, nondum perfectam, sed quatenus est humidum radicale, & calor naturalis, qui intrinsecè attrahitur, non ab extrinseco adueniens, & non nisi coagulatus, est vtilis.

Lu;

Lucas in Turba. *Pluribus rebus non indiget ars nostra, nisi vnà; & illa vna in vnoquoque gradu operum nostrorum, in aliam vertitur naturam: huiusmodi autem gradus sunt, secundum diuersas proportiones miscibilium elementorum, quæ eius operatione coeunt; & quamlibet operationem in gradu suo, secundum ordinem quem Natura tenet in via, & proportione generationis suæ, nomine alicuius metalli notauerunt. Nam, primum gradum vocant Ferrum, seu Martem; secundum Aes, seu Venerem; tertium Plumbum, seu Saturnum; Quartum Stannum, seu Iouem; Quintum Argentum, seu Lunam; Sextum Solem, seu Aurum, & infinitis alij nominibus, illa sua metalla metaphoricè nominarunt; & totum hoc, ad occultandum Naturæ artem, & scientiam.*

Hæc verba, asserit, à falsis interpretibus ad artis operationes, applicata esse, & tamen sub hisce, Naturæ processum, in omni Regno Naturæ seruatum docere voluisse. Non nego hunc processum, in omni Naturæ Regno reperiri, ac propterea multò clariùs in lapidis operatione, vtpotè naturali.

Ideo Comes Treuisanus in sua Fontina, dum de colore in colorem, de qualitate in qualitatem materia mutabatur, indusium ait Regem tradidisse famulis suis successiuè, modò Ioui, modò Marti, prout perfectionem adipiscebatur Opus. Sed audiamus Ephererium Monacum.

Causa cùr materia lapidis tot diuersis nominibus appelletur, alia non fuit, nisi illa quæ sequitur. Veteres enim, videntes Naturæ progressum in corporibus producendis; obseruabant primùm materiã (a) *metallicam formas continuas generare, quæ dum per vasa Naturæ elatæ, vndequaque diffunduntur; hanc sublimationem vocabant. Obseruantes postea ad Naturæ exemplar, materiã sublimatam, denuò descendere in fundum, quam destillationem dixerunt. Cum verò materiam paulatim denigrari, & fœtere comperissent;*(b)*illam putrefactionẽ appellarunt. Iterum cum materiam ex nigredine suà euolutam, paulatim in cineritium colorem descissere notarent,*(c) *illã incinerationem, & albificationem dixerunt. Postquàm verò terram aquà sua misceri, & coctione minui viderent,*

derent, illā cerationem dixerunt; & deinde in solidam substantiam degenerantem, coagulationem, & tandem materiam omni humore exutam, fixationem denominauerunt.

Ex his verbis asserit veteres Naturæ operationes, in mineralibus producendis indigitasse; & nequàquam verò de Alchymistarum lapide fictitio cogitasse. Ad hoc respondebo primùm, mox cœteris testimonijs, vnico verbo satisfaciam.

Existimo ego Authorem hunc, à nostro Antagonista magni fieri, namque pro se eum adducit, vel maximè, quia nihil de Philosophorum fictitio lapide contineat. Eia ergo, videamus, an nihil de lapide Chymico in hoc textu differatur. Primò igitur, cum dicitur materiam lapidis diuersis nominibus vsurpatam, de quo lapide loquitur? an de eo qui in renibus nascitur; an de eo quo vtunrur lapicidæ? vel de eo quo turris Babylonica ædificabatur? Lapis per Antonomasiam est lapis Physicus, Philosophorum, Chymicus; de quo Veteres.

Se-

Secundò cum in passu (*a*) habetur, materiam metallicam, varias generare formas; vbi erat hæc materia metallica, cum eas generaret? *Obseruabant*: Ergo erant vbi hæc materia poterat obseruari; an igitur in terræ visceribus? in cauernis latitabant? millenis annis dicitur Natura metallum producere, millenis igitur annis fuère Philosophi in terræ hiatibus, & isthic degebant, vt materiæ metallicę progressum obseruarent? Nondum sanè illis erat copia absolutissimi Subterranei Mundi, in quo veluti in speculo profunda Naturæ arcana Hydrophilaceis imaginibus contemplari liceret, quominus ad hæc rimanda telluris antra subirent. In vasis propriis eam metallicam materiam habebant: in furnis Chymicis; in eorum vitris, in Magni lapidis Artificio. Passu (*b*) compertère materiam denigrari, & fœtere; ergo proximi aderant; videbant, olfaciebant, non in visceribus terræ, sed in loco Arcanorum. Ibi etiã videbant separari humidum, descendere, vniri, coagulari, incinerari, ceta-

ri, & figi. Igitur ipsi operabantur, cum talia viderent, & processum Naturæ obseruabant in opere lapidis; ab eo .n. didicère, & imposuère nomina, quæ postea fuère vulgata. Materia porrò Philosophica in qua hæc obseruabant, non est Aurum, non Mercurius vulgi, non alia vulgaria corpora, sed ea de qua omnes Philosophi superiùs citati loquuntur, quà non vtuntur vani, sed veri Alchimistæ, vtpotè Hermes, Geber, Arnoldus, Raymundus, & alij milleni. Sed audiamus alios textus.

Geber in cap. de med. ait. *Nisi Medicina sit talis, quod corpus liquefactum, in momento denudet à forma prima, quæ sub aqua erat, & remoueat omnes imperfectiones, & similiter reducat ad vltimam simplicitatem materiæ primæ, & in momento inducat aliam nouam formam, scilicet Solis, nondum est perfecta ars, & Natura.* Quibus verbis dicit, nihil aliud describi, quàm infallibilem Naturæ effectum, in Auro producendo.

Fateor quidem hunc describi, sed agit de Auri productione, non per so-

lam

lam Naturam, sed per Medicinam Aurificam; dicit enim expressè, nondum esse *perfectam Artem*, *& Naturam* nisi ea operatio sequatur, vt vnam formam destruat, nempè priorem, (de qua aliquando quęsiuit noster Opponens, quo abierit?) & inducatur Natura Solis. Agitur ergo de mutatione alicuius in Solem, non de simplici aqua minerali, quæ non dicitur formam amittere, & in instanti Solis formã induci, sed dicitur illa perfici in metallum.

Prætcrea dicit, Medicinam, talis virtutis esse opportere, porrò aqua mineralis, non est Medicina, sed ex ea conficitur: non igitur loquitur de primordiali aquà, sed de Medicina ex ea aqua confectà.

Adde dici, opportere in momento, omnes impuritates remouere: à quò? non à matrice, quia si ea impura fuerit, impurum generabit metallum; non ab aqua, quia non in momento, hæc perficitur; ergo à metallo imperfecto. Prætcrea aduerte, has impuritates remoueri opportere, in liquefactione: cuius

quæso? nullius profectò; nisi metalli impuri, quod perfici, & purificari conuenit inductione nouæ formæ. Non ergo de primordiali productione loquitur, ea namque nullam actu determinatam formam metallicam habet, sed duntaxat in potentiâ; non ergo in eam noua forma inducitur, sed prima; namque noua tunc dicitur, cum in materia alia prior extiterit, & ita omnes Philosophi loquuntur.

Saturnus Trismegistus in Turba. *Cæcus est, qui de re adustibili putat facere Artem cum operatio Diuina sit ex parte substantiæ, quæ in igne perdurat, sine vlla combustione (vti nos de cinere ignito diximus) omnis enim alia res, per combustiones ignis destruitur, & consumitur.* Et hæc dicit de igne Naturæ solo intelligenda. Sed clarior est textus, quàm vt interpretationem admittat. Loquitur enim de re, ex qua Ars conficitur; ergo loquitur de aliquo artificiato conficiendo, ignis verò Naturæ non fit. Loquitur ergo contra cœcos, qui de re combustibili Artem facere opinabantur; combu-

bu-

bustibile verò, aut incombustibile, non est ignis, hic enim est, vel comburens, vel fouens, vel mouens, vel nutriens: Sed neque est cinis ignitus, de quo Author addidit, in Parenthesi, sed est aqua illa, siue Mercurius, de quo Geber in capitulo de Marte. *Iste est qui ignem superat, & ab igne non superatur, sed amicabiliter requiescit in eo gaudens ipso.* Substantia inquam est Mercurialis, non ignis Naturæ; hic enim est coagulans; illa coagulatum, ex qua Ars conficitur: illa soluitur, putrescit, coagulatur, & tandem figitur.

Eò tendunt, ea pariter, quæ subsequuntur, a se adducta. *Philosophi non scripserunt libros suos, nisi filijs suis. Filios verò eorum intelligo, qui intelligunt dicta eorum, & non secundum litteram: nam operatio secundùm litteram, est dissipatio diuitiarum, & temporis perditio. Multi habent Lapidem nostrum, sed nesciunt virtutem eius; & si scirent virtutem eius, nihil valeret, nisi scirent etiam eius operationem: operatio autem fieri non potest, nisi per maximum donum Dei, vel per peritissimi Magi-*

ſtri doctrinam, & totum id à voluntate Dei dependet. Dicit, & meritò clara hæc eſſe. Immò clariſſima, & ſtupeo quod ea non intelligat Author noſter. Sunt nãque ſine ænigmate, non de falſa, ſed de vera Alchymiſtarum doctrina, ſunt ſiquidem de verà doctrinà conficiendi lapidis: Auri etenim naturalis geneſis, non indiget doctrinà peritiſſimi Magiſtri. Neque hoc eſt maximum donum Dei, hoc eſt, maius quàm donum reliquarum naturalium rerum; maius namque donum eſt (ſi dicere licet, ſine impietatis notà, maius eſſe aliquid eorum quæ Optimus Deus conceſſit; cuius omnia opera, erant valdè bona) eorum, quæ ad vitæ ſuſtentaculum conducunt; etenim ſine Auro viuere poſſumus, & ſine notitia modi quo generatur; non tamen ſine pane. Donum ergo maximum eſt, cognitio, & modus operandi Lapidis Philoſophici, quem multi habent; at ignem Naturæ, non multi, ſed omnes habent, imò omnia. Et ſanè, quale donum foret, ſcire quomodo Natura Aurum generet, niſi ex hàc cogni-

gni-

gnitione aliquid inde exurgeret, quod vel a Deo, vel peritissimo Magistro sit nobis tribuendum? generatio naturalium rerum, à mediocriter perito Magistro haberi potest; imò naturalitér propemodùm scitur à rusticis. De lapidis ergo scientia est sermo.

Quæ ex Chymicorum Monarcha Paracelso (quem ita ioci causa appellat) excerpsit, vera sunt. Immò verissima: & miror Virum tantum, à Nebulone, qui nihil ipso decernente Authore, scire potest, siue in Philosophia, siuè in Medicina, siuè in Magni Lapidis fabrica, siquidem homo scurrilis, & perditissimorum morum; Miror inquam ab eo accipere dogma, quod neque ex Lullio exscripsit, neque ex alio, sed primus fuit, qui hæc in lucem produxit. Audiamus.

Quidquid ardet Sulphur est, & nil flammam concipit, nisi Sulphur. Quidquid in fumum transit, Mercurius est, nec quidquàm in fumum transit, seu nil se sublimat, siue ascendit, nisi Mercurius. Quidquid in cinerem redigitur, sal est, nihilque præter sal,

cinis fieri poteſt.

Ex quibus apertè, tria Naturæ principia ſignificari aſſerit. Ita ſanè eſt, & ſapientiſſimè ab hoc Philoſopho, vtut Nebulone primò obſeruata, & propalata fuerunt. Gaudeo Antagoniſtam, a Chymico etiam vili,ac deſpecto didiciſſe. Sed quid inde? quid rogo,ex hoc diſcurſu concluditur? ergo Lapis Philoſophorum eſt impoſtura?

Omnes reliqui textus ab ipſo citati, ſunt ex grauiſſimis Authoribus Chymicis, quos aliàs inter impoſtores adnumerauerat; & tamen fatetur dignos eſſe,quorum doctrina obſeruetur; tanquam ea, quæ veram ſcientiam contineat. Ergo qui talia docuère, qui huiuſcemodi ſenſus habuère, vtique norant, quid loquerentur: loquebantur autem contra Pſeudochymicos, ergo illi non fuère Pſeudochymici: ergo veri Chymici: Ergo credibile eſt eos præſtitiſſe, quæ pollicebantur, vt de Lullio aperte docui, ex Roberto Conſtantino, & de Arnoldo ex Ioanne Andrea. Quare nunquam ſatis mira-

ri desistam, ab Authore contra Lapidis veritatem eas authoritates adduci, quæ ipsum prorsùs haud scitæ considerationes conuincunt. Sed authoritates obseruemus, quibus eandem impossibilitatem, ex aliis Authoribus grauissimis contendit concludere, & videbimus quantum à scopo aberrarit.

Primus locus est, ex D. Thoma, qui 1. sët. qu. 3. art. 1. expresse negat, Aurum Alchymistarū, verum Aurum esse. Cæterum loquitur eo loci Angelicus Doctor, de Auro Sophystico, quod nemo vnquam Philosophorum dixit, verum Aurum esse. Immò omnes illud reijciunt, tanquàm fucatum, & spurium, & omnes deceptores esse, qui tale operantur. Quare alibi docet, verum Aurum facere posse Alchymistas, quod Author interpretatur, de eo quod extrahitur arte, e mineris, aut materialibus, cui inest, sed perperàm, namque aliud est separari, aliud fieri; illud non est Alchymistarum, sed Docimasticorum, & Metallurgorum, quod discrimen optimè callebat Sanctissimus Doctor; idcircò

cum docet verum Aurum fieri posse, loquitur de vera operatione, qua Aurum fit ex eo, quod non est Aurũ; quod enim est, non fit; de eo inquàm loquitur, quod fit applicatione actiuorum, ad passiua, ex veris Naturæ principiis. Accipe igitur eius clara verba. *Si Aurum quod fit ab Alchymistis, non sit verum & tale, quale fit à Natura, eius venditionem pro vero, fraudulentam & iniustam esse.* Obserua conditionalem, *Si: Sin autem fiet verum Aurum ab Alchymistis, id licitè pro vero Auro diuendi posse.* (Obserua attentè sequentia, & videbis an de educto arte loquatur, an verò de eo quod arte conficitur:) *nihil enim prohibet Artem vtendo causis naturalibus, naturales, & verus effectus producere.* Poteſtne quidquam clariùs dici? non igitur loquitur Sanctus Doctor, de Auro arte educto, sed de eo quod Arte fit, ex veris naturalibus principiis.

2. 2. q. 77. ad prim.

Alterum testimonium est, Auicennæ; in his verbis. *Sciãt Artifices Alchymiæ, species metallorum transmutari non posse, quamuis similes illis fieri possint: etsi enim*

tin-

tingere queant Aes colore quo volunt, donec sit multum simile Auro; & abstergere immunditias Plumbi, itaut videatur Argentũ, semper tamen, secundum substantiam, manebit Aes, & Plumbum. Locus desumptus est, ex tractatulo Auicennæ, de congelatione, & coagulatione lapidũ in theatro Chymico, & in primo volumine, Artis Auriferæ, capite tertio, Sed miror Authori obtigisse volumen mutilatum, & hic quiescere. Namq; meus Auicenna non claudit in his capitulum, sed alia subdit, quorum ego copiam Authori libenter faciam, ut integram Auicennæ mentem intelligat. Ex meo igitur excerpta, sic accipe. *Hæc igitur in illa permutare non poterit, nisi fortè in primam materiam reducantur, & sic in aliud quàm priùs, permutantur. Hoc autem per solam liquefactionem non fit.* Quid ad hæc; an non clara sunt, & sine ambagibus? considera discrimen inter Sophysticos Alchymistas, ac veros, & Philosophos. Illi species non transmutant, neque in primam materiam redigunt metalla, sed duntaxat liquant,

De coag. lap. c. 3.

quare

quare nihil boni efficiunt; sed Philosophi, metalla in primam materiam reducunt, & ita in aliud, quàm prius fuerat transmutant. Hoc autem facit tinctura, quia confecta est, ex prima metallorum materia, ideoque uim habet, metalla imperfecta in primam materiam reducendi, perficiendi, & transmutandi. Hoc idem docet Magnus Albertus. à me ab initio citatus. *Qui per alba albificant, & per citrina citrinant remanente specie prioris metalli in materiæ, procul dubio sunt deceptores, & verum Aurum nõ faciunt, & hoc modo fermè omnes vel in toto, vel ex parte procedunt. Proptereaque ego experiri feci Aurum Alchymisticum, quod ad me delatum est, & postquàm sexcies, aut septies ignes sustinuit tandem amplius ignitum consumitur, & perditur, & quasi ad fæcem reuertitur.* Obseruanda sunt verba Alberti dicit, omnes fermè ita procedere, ly *fermè*, excipit ex omnibus aliquos. Loquitur autem de ijs, de quibus Auicenna, qui metalla transmutare præsumunt, aut per additionem rei extraneæ, nimirum *alba* & *citrina* & de ijs qui

Lib. 3. c. 9. de Mineralib.

id tentant seruatâ eàdem specie metalli, non de ijs qui ea in primam materiã reducunt; quia hi speciem mutant, & aliam formam inducunt; & hi sunt, qui in particula *fermè* excipiuntur.

Picus Mirandulanus, de Euersione singularis certaminis: ita scribit. *Danda non est opera illi arti, non quia impossibilis est,* li. 29. c. 7. *sed quia tanta est difficultas, vt vtiliùs sit, eam omittere, quàm exercere; & multi quidem ditissimi ad magnam inopiam redacti sunt, eoquod maximis sumptibus impensis, vel nunquàm assecuti sunt, quod hac ars pollicetur, vel certè raris, & parùm, itaut sumptus, multò lucro sit maior. Quare satiùs est, alijs artibus vtilioribus operam dare, quæ maiori ex parte finem suum præstant, quàm huic, quæ rarissimè, propter res Naturæ absconditas, finem suum assequitur.* Quid ex hoc testimonio eliciat Author non agnosco; artis possibilitas, non verò impossibilitas habetur, difficultas eius aperitur, dehortatur ignaros ab opere, ob eorum raritatem, qui finem assequũtur: deterrentur ob eos, qui ingentibus expensis, nihil sunt assequuti: Omnia

vera, ideò qui non benè rem priùs intelligunt, non accedant. Ipſe Sendiuogius præmonet, ne ſine præuia cognitione Naturæ, quis ad opus accedat; meliùs eſſe laborare mente, quàm crumenà (ne intelligas inſanire) quæ admonitio, vtique boni viri eſt, non nebulonis, & impoſtoris. Sed audiamus Arnaldum; hic ſanè magnum quid ad intentum Opponentis præſtabit.

Sunt aliqui fatui, & cæci (obſeruabile initium) *qui dicunt, ſe ſcire facere Aurum potabile, de Auro vulgari* (iſti ſunt illi fatui accæci) *vel credunt quod eſt optimum ad ſanandum omnes ægritudines, & ſunt aliqui Medici, qui faciunt bullire ducatos in aqua, dicendo hoc eſſe optimum ad ſanandum, quod eſt totum oppoſitum (ſaluà ſemper eorum reuerentià) quod ſit illud Aurum potabile, neque illa aqua ſit bona ad bibendum, pro ſanando, ſed benè dico quod Ducati ſunt optimi pro emendo confectiones, & pro Medicis ſoluendis; & etiam verum eſt, quod bonum eſſet habere vas plenum ducatorum, & oſtendere infirmo, quia ei multum conferret videre Aurum. Qui ergo hanc medici-*

dicinam intelligunt de Auro vulgari, sunt cæci, & plusquàm cæci deceptores. Ad quid rogo, hæc authoritas? quid in hàc de Lapide, aut eius possibilitate; quid hic de transmutatione metallicis? loquitur Arnaldus contra cæcos, & stultos & contra Medicos qui opinabantur, aut ex auro vulgari fieri posse Aurum potabile, illud scilicet relinquendo in substantia, & corporeitate aurea, eo modo quo ij qui faciebant Aurum bullire in aqua, quasi hæc eàdem vires acquireret, ad sanandum; ideòque eos irridet. Verum est siquidem neque ex eo non alterato in substantià, Aurum potabile fieri posse, neque ita adhibitum esse vllius momenti ad sanitatem. Quare distinguere opportet, inter Aurum potabile, Lapidem, Medicinam, & Tincturam, quia non sunt idem, neque eódem modò parantur.

Lapis ergo Philosophorum, est quędam substantia, parata ex prima ac primordiali spirituosa rerum omnium radice, ac materia, e Regno minerali desumpta, non tamen adhuc in metalli-

cam formam ſpecificata, quæ per remotionem omnium impuritatum quæ ſibi adhærent purificatur, & in ſimpliciſſimam quintam eſſentiam reducitur.

Hoc peracto, retinet vim vniuerſalē aptam ſpecificari in triplici Regno Naturæ, per admiſtionem ſeminis ſpecifici; eſt etenim veluti humidam radicale omnium rerum, quod omnibus cōfert; & quia ab omni omninò imperfectione ſegregatum eſt, ſubtiliſſimum quoque eſſe contingit; quapropter, cuicūnque applicatur, tranſit in eius ſubſtantiam: & quoniam omnis morbus in omni regno oritur ex impuritatibus accidentalibus rei ſuperuenientibus, eas remouet, ſiue abſumendo, ſiuè ſeparando, ſiue Naturam roborando, ad eas expellendas.

Hoc igitur eſt, quod etiam dicitur Aurum potabile, quod non ex Auro vulgari conficitur, ſed ex ipſius Auri principio, antequam in metallum coaleſcat; ideoque retinet vim vniuerſalē, ad ſanandas omnes infirmitates naturales, exceptis mutilationibus, quia

re-

restaurat, non restituit corpus. Potest tamen & aliâ viâ Aurum potabile præparari; ex ipso scilicet vulgari Auro, in quintam essentiam resoluto; sed sine hac est omninò impossibile.

Medicina verò, de qua Geber suprà citatus, est quidam puluis (potest etiam esse liquor) qui ex hac radice, & Auro vulgari conficitur; quemadmodũ enim in Animali, ac Vegetabili, ita in Minerali quoque ea operatur. Magna tamen in hoc esse debet artis industria, quia cum Metalla non habeant actualẽ vitam, & in actu secundo, quemadmodum habent Vegetabilia, & Animalia, necesse est Aurũ vulgare primùm aperiri, alioquin capax non est, neque idoneam hanc medicinam in sui naturam vertendi; neque hæc se solà, sine actuali aureà naturà, vim habet vllam, transmutandi Metalla; quare dixit Geber, eam non tingere nisi tingatur, neque figere, nisi figatur: Etenim cum pro Animalium corporibus sanandis, aut Vegetabilium vsuvenit, esse non deceat omninò fixa, alioquin eueniret

quod dixit Lullius, multos medicinæ vſu ſeipſos interemiſſe, quia ſcilicet eius gradus non obſeruarunt, ſed cum adhuc retineat volatilitatem, indiget vlteriori fixitate, ad perficiendum Metalla. Et hoc ideò, quia Animal, Sale volatili, Metallum verò, Sale fixo componitur.

Primum igitur Sapientum intentum eſt (neque vnquam fuit aliud) non Aurum conficere, ſed medicinam, pro ægritudinibus tollendis, producendo vitam incolumem, ad tempus, ac terminum, ſibi Diuinitùs conſtitutum: pro quo obtinendo, Naturam ipſam radicalem ſibi aſſumendam meritò ſunt arbitrati, quemadmodum etenim omnia producit, omnia reſtaurare poſſe, non ſine fundamento iudicarunt. Pro hac habenda, & agnoſcenda adinuenta ſunt Magorum, ac primò Hermetis Hieroglyphica, ſiue potiùs in illis hujus notitia, & quo pacto haberi poſſit in illis, vt & in Tabula Smaragdina, eſt oſtenſum. Admonet hoc Dunſtanus his verbis. *Hoc ſolùm te monitum velim,*

Ioa. Dunſtan. in Præf.

vt

vt medicinæ humanæ limites non excedas in principio, nam si vulgarium metallorum metamorphosin quæsieris, deplorabis errorem tuum.

Videntes porrò vniuersalem hanc Naturam, in Animalem, ac Vegetabilem facilè conuerti, periculum & in Minerali genere fecerunt; perfectissimo igitur Metallorum assumpto experiri decreuerunt, an id, quemadmodum eam matrem, ac genitricem agnouit, ita ab ea vices, ac regenerationem habere valeret: Et hoc est, quod quæsierũt Philosophi, non Aurum, longè hàc medicinà viliùs, & pro quo tanta nunquam molimina excogitassent.

Consectaneum Anthiteticum, in quo Pseudochymicorum, ac Philosophorum in magisterium assumpta contraponit, frustraneum censeo, idcircò in eo non laboro: Fateor etenim Pseudochymiastros, a Philosophis, omninò decidere, & quas differentias Sendiuogius inter Vulgarem, ac Philosophicum Mercurium obseruauit, hanc eandem imò maiorem esse, inter Pseudo-

chymistas, & Veros. Propterea non sunt ea, ut Author asserit contradictoria; immò sunt consentientia: namque contradictio est eiusdem, circa idē prædicatum, & subiectum; & hic diuersa sunt prædicata, & subiecta. Ego Authori contradico, quia ipse asserit, ueros Philosophos nunquàm uerum Aurum confecisse, neque conficere potuisse, & se hoc demonstrasse rationibus firmissimis, & conuincentibus, & Lullium, Arnaldum, Rupicissam, Sendiuogium, aliosque Authores Chymicos esse Impostores ac Nebulones. Contra ego dico, eos Veraces esse, Viros Probos, qui & Aurum perfecerint, & perficere potuerint, idque rationibus firmis, ac ualidis, Authoritatibus irrefragabilibus, Authoris rationibus, solidè confutatis, & euacuatis, in quibus nulla sit, siue in forma, siue in materia, ratio vel apparens, quæ benè concludat; hæc suut contradictoria; illius falsa, mea vera propositio. Argumentum igitur quod format, ex contradictionibus inter veros Chymicos,

cos,

cos, ac Sophystas, non concludit, nisi more solito. Ita namque concludit. *Ex his luculenter patet, quid de Alchymia transmutatoria, tot contradictionibus inuoluta sperandum sit.* Quare, tale est eius argumentum. Vbi est aperta contradictio in re aliqua, ibi nequit esse veritas; atqui in Alchymia transmutatoria est maxima contradictio, ergo in ea nulla potest esse veritas. Minorem, in qua difficultas est, sic probat: ex allatis oppositionibus, & contradictionibus clarè elucet, Pseudochymicos, veris Philosophis contradicere, ergo in Alchymia transmutatoria est maxima contradictio. Concedo antecedens, & distinguo consequens: est contradictio inter falsos, & veros, concedo consequentiam. Inter veros? nego consequentiam. Ergo falsi Alchymistæ nequeunt Aurum conficere? concedo consequentiam. Ergo hoc nequeunt veri, ac Philosophi? nego consequentiam.

Prætereo Notas, & Nomenclatorem Chymicum, ne aliena exscribam, &

panem ex aliena farina, vt alij assolent, conficiam; nihil enim ad rem, & hæc habentur in omnibus Chymicis, in quibus fusissimè Schroderus; Parisiensium etiam censuram, in librum Petri Palmarij, non immoror. Quia nihil ad nos. Damnauere Parisienses Alchymiam medicinalem; contra stetit Libauius, & benè. Restituta est, & in vsu; neq; aliàs vnquàm tot libri Chymici, de vero Auro potabili, aut Lapide Physico prodiere, quàm hodie ex Gallijs, vbi verificatur illud abundè, vexationem intellectum tribuere; nisi etenim hæc Veritas impugnata fuisset, non haberet tot defensores. Inter quos tamen nos adnumerari non intendimus, neque tenuitas nostra tantum opus potis est aggredi, neque intendit, aut temerè affectat. Satis abundè Bonus, in prætiosa Margarita, Clauèus, & alij magni nominis, imò Geber ipse id præstiterunt, qui & rationibus, & experimentis, rei veritatem comprobarunt; quos nulla vnquàm inuidia, nulla oppositio euertet. Et hæc, circa Chymicum argu-

gumentum dicta sint satis. Quoniam verò Philosophica ex eodem principio prosequitur Autor, bonâ eius veniâ nõnulla circa eius placita considerabo, postquàm quædam experimenta hinc indè ab ipso dispersa, in suis hisce Mũdi Subterranei, & alijs voluminibus, vere doctis, copiosis, subtilibus, sparsim posita, & à me excerpta, subiecero examini, non contradicendi studio, sed vt eorum veritas magis elucescat, cũ ingenij mei imbecillitas ea non valeat satis percipere.

CAP. XV.

Varia Physica dogmata ab Authore proposita in varijs libris examinantur, & eorum veritas libratur.

VAria Authoris hinc inde experimenta excerpta consideranda assumens, ordine procedendum videbatur, vt à primi voluminis experimentis initio facto, ad ea quæ secundo volumine habentur progrederer. Cæterum,

cum hactenus de Metallis egerimus, & Mercurius, siue Argentum vivum vulgare, pro Aqua metallica habeatur, eius naturam præmittendam duxi, aliquem meliorem ordinem in cæteris

lib. 9. sec. 3. pag. 154. seruaturus. De eo igitur hoc tomo secundo anatomem instituens, eius admirandam naturam in apertum producit, & quidquid omnium penè Chymicorum experientià in eo obseruauit, ipse paucis paragraphis refert. Omitto eius vim medicàm, neque enim meũ est, alia quam Physica in hoc opere considerare. Disquirit igitur S. IV de admirabili vi, quà Auro adhæret, eiusque rationem ac causas vestigat, in quo dubium non contemnendum mentem subit, quod enucleandum assumo.

Varias refert opiniones, antequam propriam subijciat. Secunda est Paracelsi, & Fallopij, quod scilicet Metalla, ac Aurum præcipuè, Mercurium attrahant, vi quàdam magneticà; quemadmodum & Magnes trahit ferrum, & Adamas, ac Succinum festucas, & paleas. Secunda sententia censet id fie-

ri, ratione vacui, quemadmodum in elementis eſt videre, non aquam modò, ſed lapides ſurſum ferri ad impediēdum vacuum. Huius Authores opinionis ſolidè oppugnatos aduerto, cum namque elementaris attractio fiat ex ingenio Naturæ, inſito ſibi appetitu, ad ſui conſeruationem, nulla eſt in Metallis, ac Mercurio huius attractionis occaſio: cum etenim Aurum à Mercurio ſeiunctum, nullam patiatur vim, ſed omninò abſq; illo eſſe poſſit; quod idem & Mercurio accidit, non eſt cur alterum trahat alterum, ad ſui conſeruationem: quare nulla eſt, huiuſcemodi attractionis neceſſitas.

Idcircò Authoris mens eſt, id fieri per beneficum, & amicum Auri Argentique in Hydrargirum affectum, quo apprehenditur Mercurius, ſeu per appetitum naturalem ad Aurum, vel Argentum, eà ratione, quà formam materia naturaliter appetit, & præuijs diſpoſitionibus in compoſitum Phyſicum coaleſcunt. Elegans profectò opinio, ſed meo iudicio, Oratoria magis quàm

Phys. l.t.81 Physica. Namque materia formam appetit, vt turpe pulchrum, aut fœmina virum, vt imperfectum perfectionem, naturali, ac ingenitâ propensione, quia scilicet materia est quid incompletū, & exigit compleri, hoc verò est ei naturaliter possibile. Cæterum in Authoris sententia hoc dari nequit inter Hydrargirum & Aurum, neque enim Hydrargirum est Auri materia, Aurum verò eius forma, siquidem vtrumq; æquè perfectum est in suo esse Physico, & corporeo, quare huiuscemodi appetitus in rebus perfectis dari nequit; datur namque tantummodò, vt per eum perficiatur in Natura quod est imperfectum, & compleatur incompletum.

Adde, in eius opinione transmutationem naturaliter impossibilem iudicante, seu fermè impossibilem, vel saltem quæ nunquam ad actum reducatur, fieri non posse vt Mercurius ab Auro, aut Argento perficiatur, quare cū frustranea sit illa potentia quæ nunquàm reducitur ad actum, talis in ijs appetitus esse nullo modo potest. Quin,

idem

idem foret & cum Stanno, & Plumbo, à quibus potiùs Mercurius imperficitur, & vitiatur. Quare ratio hæc non satisfacit; cum insuper nunquam fieri queat, vt Mercurius vnum efficiat cum Auro.

Dicet, se hoc dedisse loco exempli, ad explicandam analogiam eius appetitus. Respondeo, hunc appetitum esse ab omni alia re alienum, cui non insit ratio perfectibilitatis. Sed tamen, neque per hanc explicari potest, cum idē ci insit, etiam respectu imperfectorum, quibus non miscetur per minima, neq; eis in profundo adhæret, quod propriū est Mercurij Philosophorum, Argentū namque Vivum vulgare ijs miscetur, quàtenus est ex eadem aquà coagulatum, & per iuxtapositionem eisdem adiungitur, in eorum porositates sese insinuans, quo pacto etiam imperfecta Metalla, immò & cum perfectis, eodē mutuo se complectuntur affectu, siquando vnà igne liquata confundūtur.

Neque videtur satis explicare, quod subditur, hanc ab Authore Naturæ

præ-

prærogatiuam obtinuisse, vt Auro, Argentove mixtum solidam consistentiã adipiscatur; non inquàm benè dici opinor, cum ab ijs nullam vnquam consistentiam sortiatur (maximè in eius sententià, transmutationem negante) quinimmò à Ioue, & Saturno eam obtinet, exercetque longè auidiùs, quàm cum Argento, & Auro, vt etenim ipsè Author probè aduertit, eorum vapore sistitur eius fluiditas, & in malleabile corpus facessit; quod si hæc sit perfectio, ad quam naturaliter tendit, in hęc potiùs Metalla innato feratur necesse est appetitu, quàm in Metalla perfecta, à quibus malleabilitatem nullám, aut persistentiam vnquàm sortitur.

Dicendum igitur censeo, vel Magnetismo quodam ad Metalla ferri, vel quoniam Aqua eadẽ est omnibus Metallis communis, proindeque quemadmodum vulgaris aqua aquæ miscetur, ita Metallis Hydrargirum; nõ quidem quia ei appetitus insit innatus, ratione perfectibilitatis, sed veluti liquores inuicem se mutuò peruadunt, ita pariter

ter hæc Aqua metallica, ad instar liquoris connaturali fluxilitate confunditur; siue id fiat ad sui conseruationem, siue (meo iudicio veriùs) quodam naturali Magnetismo, quo similia similibus copulantur.

Sed insurget Author, Magnetismū operari semper in aliqua distantia, quod in Hydrargiro cum Auro, cæterisve Metallis non accidit. Respondeo non omnem Magnetismum id requirere, sed aliquem esse qui suā vim exerat per solum contactum, quo pars partem retinet, non attrahit. Quod si distantiam requiras; dentur duo globuli disparati, Aureus alter, aut Stanneus, alter ex Hydrargiro: approximentur inuicem, itaut se mutuo contingant, profectò partes extimæ vtriusque globuli, ab inuicem sunt dissitæ, & tamen non sistet Hydrargiron, quin toti Metallo commisceatur, ergo pars extima Hydrargiri trahit, vel trahitur ab extima Metalli.

Addo alterum experimētum; Redigatur Aurum, Argentum, vel Stannū

in

in laminam tenuem, & extremæ eius parti applicetur Argenti viui portio aliqua, hoc totam mox laminam percurret, & in extremas etiam eiusdem partes diffundetur, ergo quia à partibus extremis trahebatur. Quod si dicas trahi semper à contigua, & immediata parte, non verò ab extrema, ergo saltem Naturà trahitur, quia tu non promoues ipsum, sed ipsummet propria sponte in Metallum illabitur. Idē tamen omninò contingit in omnibus liquoribus, quare omnes inuicem eundem habere Magnetismum erit dicendum.

Ego tamen adderem, Naturam in mistionem inclinare, eamque à Deo rebus omnibus esse inditam, quare omnia miscibilia à Natura mouentur, quo misceantur. Quia verò, quantò aliquid partibus subtilioribus constat, vt Philosophus docet, eò faciliùs miscentur, ideò liquores, qui è subtilioribus partibus constant, faciliùs sese peruadunt. Cum ergo inter omnia liquida Mercurius sit subtilissimus in substantia,

1. de gen. p. 89.

ideò

ideò etiam coagulatis liquoribus, maximè qui in coagulatione porositatem nanciscuntur, sese insinuat, eorum porositates peruadens; quod manifestè patet, quia Bractea Aurea vncialis, vnciali Mercurij aquà permista, nullo molis augmento intumescit, ex quo clarè elucet eius poris sese Mercurium ingerere.

Quod autem additur, Argentum siccitate suà, Mercurij humiditatem retundere, Aurum verò à superfluis terrestreitatibus illum liberare, aut lauare, non benè dicitur; neutrum namque euenit, siquidem, cum vtroque amalgamatum commiscetur, sed iterum ab illis recedit, nihil melioratà naturà, nisi fortè aliquid sordium deponat, quod etiam à calce viuà sublimatum efficitur, imò longè meliùs, quàm cum sublimatur ab Auro; neque vnquàm ab ijs corporibus transmutatur, neq; trãsmutari potest, quod Author ipse absolutè contendit. Quod siquis in contrarium opinetur, in vnum eorum errorũ incidit quos reprobat Arnaldus in Rosario,

ſario, quia in tali operatione tantùm abeſt, vt aliquid puritatis, aut perfectionis accedat Mercurio, quin potiùs ab ipſo Metalla imperficiantur.

Sed liceat hic duo addere experimēta Metheorologica, ex tractatu de Arte Magnetica, in quo inter reliqua ſcitiſſima arcana, & pluuiam ſanguineam, & niues docet in clauſo cubiculo repreſentare.

Aquam, ſeu pluuiam ſanguineam docet effici, cum in aqua vulgari ſoluitur cinnabaris, aut minium, hanc enim rubeſcere dicit, & in euaporatione, eundem retinere colorem, quare dum vi frigoris, in aquam conuertitur, rubicundæ guttulæ deciduę pluuiam ſanguineam præſeferunt. Huic experimento nullus reſpondet effectus. Primò, falſum eſt, ſiue cinnabarim, ſiue minium aqua diſſolui. Secundò falſum eſt, ſolutionem rubram vllo modo prodire, ſiquando ea liquoribus ſolutiuis, vti acri lixiuio, & aceto deſtillato ſoluantur. Tertio falſum eſt, euaporationem à liquoribus tinctis ac coloratis,

co-

coloratam eleuari; quare consequens est, neque pluviam rubicundam decidere.

Alterum experimentum habetur similiter in arte Magnetica, in quo docetur nix confici, cum scilicet è cubiculi tabulato demittitur ad instar pluviæ aquà decidua, si vento follibus excitato agitetur, in niuem densatur. Cæterum huius operis Tom. 1. tit. 1. sic habetur. *Si Nubes, nitrosis salinosisque corpusculis fœtæ, spumosam indolem induerint, tunc mox etiam, frigidiore accedente vento, in niueam floccescunt substantiam.* Quæro, si in cubiculo solus follium flatus sufficit ad cogendam aquam in niues, absque nitrosis, seu salinosis halitibus, quidni sufficit, & in aere frigidior ventus accedens? Vel si hoc loco Natura hos halitus exigit, ergo sola aqua decidua, frigido quantumuis agitata vẽto, non floccescet in niues. Sed ad alia. Magni momenti experimentum est, quod ponitur hoc loco, in quo hæc habentur. *Fiat ex salis fossilis laminis vas quadratum.* Minimi laboris fuerat, fecis-

pag. 223.

Pri. 8. pag. 164.

ſe rotundum, tornatili ferro, aut ſcalpro excauatum. *Cuius commiſſuræ pice, aliàue materià exactiſſimè claudantur.* In hoc vas aquam dulcem immitti iubet, quam breui interuallo, ſalſam futuram verè aſſerit. *Attrahente ad ſe Aquà dulci ſalſedinem &c.* Magnum ſecretum, in vaſis ſcilicet confectione; Namque Ollæ Oenipontanæ, Saxonicæ, Salisburgi, & aliæ optimè norunt, ſalem in montanis cauernis aquà dulci diſſolui, quod demum in candidiſſimum excoquunt, poſtquam aquam eo impregnatam per canales, in caldaria euaporatoria perduxerint. Attamen, vt magnum quid docere videatur, *e ſale foſſili* laminas iubet confici, eaſque *pice, vel alia materia* committi. Benè aliam materiam accerſit; Namque quis vnquàm vidit, aut audiuit aliàs ſalem pici liquatæ vniri? Alia autem materia, quænam erit? Si experimentum magni ponderis ſucceſſum habuit, decuit materiam aperire, difficilior namque erit inuentu, quàm materia Lapidis. Neque minùs lepidum eſt quod ſequitur, aquam nimirum

dul-

dulcem, salsedinem ad se trahere, quasi qualitatem imbuat, quà destituatur corpus fossilis salis. Salem, non salsedinem, soluit, non trahit, imbuit, non allicit, aut elicit: Magnetismus hic nullus, aut attractio; Vera est solutio, de qua Coquum consule. Immo vas totum in aquam abiret, si tale quid conficeretur.

De Ventorum origine, hæc habentur. *Quando igitur Sal Ammoniacum Oleo* Pag. *Tartari suo contrario iungitur mox in fero-* 210. *cia bella exurgunt, &c.* Supponitur hic Tartari Oleum, Sali Ammoniaco contrariari, quod falsum est; Sal siquidem Ammoniacum Oleo Tartari immissum, nullam hostilitatem ostentat. Immò Aurum fulminans, etiam sine Sale Ammoniaco conficitur; quare, ferocia illa bella, non ducunt originem ex Salis Ammoniaci hostilitate, cum Oleo Tartari.

Curiosum est experimentum, quo Pag. elychnium conficiendum docet, flam- 224. mam adeò vehementem edens, quod nullum tam contumax metallum sit,

quin eo liquetur. Accipe.

Lampadi oleo repletæ elychnium crassum, ex Sulphure liquato facito, vna cum oleo salis Ammoniaci, Nitrique maceratum imposito; quo accenso per vitreum aut cuiuscunque alterius materiæ syphonem, flammam diffla; huius apex flammæ tantæ efficaciæ est, vt nullum tam contumax metallum sit, quod non liquefiat: Igneis enim huiuscemodi ex Sulphure, & Antimonio, Nitroque spiritibus, nihil in rerum natura efficacius reperiri potest.

Difficilius est huius elychnij magisterium, quàm Lapidis Physici Arcanũ. Quomodo quæso ex sulphure liquato elychniũ conflari possit ignoro: Si enim liquatum posueris, nunquam ita persistens, in elychnium euadet: neque vt tale potest in oleis præscriptis macerari, namque oleo immissum, aut ei innatabit, aut commiscebitur, aut fundum petet, quomodò ergo in elychnium euadet? Si in Magdaleonem efformes, non erit liquatum Sulphur. Si gossypium sulphure infeceris, erit elychniũ ex sulphurato gossypio, non ex Sulphu-

re

re liquato. Hoc igitur primum eſt inintelligibile. Ad alterum: Macerari iubet, in oleo ex Nitro, & Ammoniaco. Horum nullum datur; ſed Spiritus, quē ſi per balneum à phlegmate liberaueris (quamuis nunquam omninò euacuetur) craſſeſcit quidem: Quod ſi hunc, oleum dixeris, tantum abeſt, vt flammam concipiat, quin illam omninò ad inſtar aquæ extinguat. Tertio in eo oleo macerari iubet elychnium. Si ſulphur fuerit, nihil inde hauriet, neque enim eò imbibitur vllo modo. Si goſſypium dixeris, hoc, quamdiù his oleis maduerit, aut ſpiritibus, nunquam Sulphur liquatum admittet. Quarto nihil reperiri aſſerit efficacius, ſpiritibus igneis Nitri, Sulphuris, & Antimonij; Non amplius Ammoniaci ea vis eſt, ſed Antimonij; igitur pro elychnio admirando illo non Ammoniaci, ſed Antimonij oleum accipi opportuit. Denique Antimonij ſpiritus, neque Ammoniaci, vllo modo ignem concipiunt, neque Nitri. Ex Antimonii quidem lixiuio acerrimo educitur combu-

ſtibile ſulphur, ardore, ac flammâ omninò vulgari ſimillimum, ſed in quo tãtas ego vires non ſum expertus, omninò ſiquidem languidè ardet, & flammâ Vini ſpiritui non abſimili. Ex Nitro verò Tiliæ raſuris, ſiue alius ligni facilioris inflammationis commiſto (viſu curiosùm) efficitur ignis adeò vehemens, vt in putamine nucis Aurum hàc miſturà liquetur accenſo carbone, aut ferro candenti inflãmmante miſturam, nullo ſulphureo elychnio addito, nullius Nitri, Ammoniaci, Antimoniiue oleo ſuperaddito, ſine eorundem ſpiritibus immiſtis, vt propterea proceſſum, aut aliunde ab aliquo Chymiaſtro, aut è cerebro parùm Chymicarum rerum perito proceſſiſſe dicendum.

Pag. 246. Quod porrò ſequitur experimẽtum, ac dogma, ſuper omnia palmam meretur; ex hoc etenim, omnium Thermarum, Aquarumque mineralium origo, miſtio, natura, compoſitio eliciuntur. Arrigite aures, & qui auribus carent, ab Auritis eas mutuentur; operis nam-

que

que prætium id exigit.

Misturæ itaque aquarum omnium, qualicunque tandem modo compositarum, ad quinque capita reducuntur. Primo, vel enim diuersis terrestris materiæ glebis miscentur; quibus omnes terræ species comprehenduntur. Secundo, vel diuersis salium, qui succi concreti dicuntur, speciebus. Tertio, vel diuersis succorum siue liquidorum speciebus, iunguntur. Quarto, vel cum metallicis corporibus miscentur. Quinto, vel varij lapidum generibus miscentur. Atque ad has quinque classes quidquid in corporea, ac subterranea Natura reconditum est, reuocatur. Ex quorum commistione, sequens qualitatũ, quæ in ea quam recensuimus aquarum diuersitate elucescunt, series emanat.

Terræ infectæ.		
Salsæ.		*Acidæ.*
Nitrosæ.	*Ex his nascuntur qualitates, & sunt*	*Amaræ.*
Aluminosæ.		*Salsæ.*
Vitriolatæ.		*Calidæ.*
Sulphureæ.		*Frigidæ.*
Aeruginosæ.		*Oleaginosæ seu pingues.*
Ex Sale, & Gypso.		*Venenosæ.*

Metallicæ.	*Coloratæ.*
Bituminosæ.	*Ebullientes.*
Mercuriales.	*Transformatiuæ.*
Ferratæ Aeratæ.	*Purgatiuæ.*
Lapidescentes.	*Quibuscunq; membris salubres.*

Vt harum rerum conſiderationem aggrediamur; primùm docet, ex harum ſubſtãtiarum, & qualitatũ miſcela, arte cõbinatoriâ (quippè qui rerum combinandarum peritiâ, quà Chymici carent, ſummâ ſit inſtructiſſimus) 479001600. hoc eſt, quadringentorum ſeptuaginta nouem millionum, mille ſexcentorum Thermalium aquarum differẽtias oriri. Quare, cum vniuerſa aquarum moles, Lacubus, Stagnis, Paludibus, Fluuijs, Sinibus Oceano cõiũctis 74249834 m°. milliaria cubica vix impleat, hoc eſt, ſeptuaginta quattuor milliones, ducẽta quadraginta nouem millia, octingenta triginta quattuor cum dimidio, iuxtà calculum noſtrum; ſublata à numero, ac diuerſitate Thermalium aquarum, omni hac mole, reſtabunt 404751765. m°. in quas aquas minerales diffundi op-

Mathemat. diſcipl. tract. de Sphara c. 6.

opportet; quare vix pro singulis Thermalibus aquis pocillum supererit. Quinimò & earundem aquarum molem, seu numerum addi opportebit, neque enim recensita Lacus, Paludes, Stagna, Flumina, Sinus Oceanis, inter Thermalia, aut Mineralia sunt adnumeranda; quæ etsi forent, vix ei numero sufficerent.

Altera consideratio est, circa capita ea quinque, ad quæ minerales Aquas omnes deducit: ac primò, caput primùm de Aquis Terra infectis. Rogo an eæ terræ simplices sint, an aliquo succo, sale, spiritu, alioue minerali vapore infectæ? Si prius, nullam prorsùs aquis virtutem communicabunt; simplex namque terræ gleba non soluitur aquà, neque ei quidquam communicat. Sin aliquid mineralis succi, spiritus, aut salis insit, iam ad alia capita refertur: Hoc igitur caput inutile.

Secundo, Aeruginosas, ab Aeratis, ac Ferratis distinguit; atqui Aerugo ab Aere, a Ferro Ferrugo deriuantur, sunt namque hæc Metalla corrupta, ergo & hæc

hæc malè ab inuicem distinguuntur, & consequenter, qualitates ab ijs deriuatę, non benè separantur, neque a se inuicem, neque à Metallis, seu Metallicis, nunquam siquidem Aerugo, aut Ferrugo sine Metallico corpore existunt.

Tertia sit, quia Aquas Metallicas peculiariter distinguit a salibus, & succis; Rogo, an censeat ipsa corpora Metallica aquas simplices afficere? Si asserat, toto cœlo aberrat, sibique contradicit, negans, & benè, Aureum corpus quidquam virtutis aquis imprimere, quod superiùs etiam negauit Arnoldus; & patet experimento: Sin autem de metallorum primordialibus principijs loquitur, ea sunt, vel sales, vel succi, vel spiritus, & ita frustrà separantur in peculiare caput. Idipsum est de iis quas asserit varijs lapidum generibus misceri, non enim lapides soluũtur aqua simplici, sed acri, acris autem non est, quin sale, aut succo aliquo fuerit imbuta, aut lapides sint calcinati. Ergo & hic in diuisione genericà erratur,

Pag. 248.

tur, namque quæcunq; aquas inficiunt, vel ſucci ſunt, vel ſpiritus, vel ſales, inter quas omnia Vitriola, ac Alumina recenſentur. Non ergo ſimplices lapides quidquàm aquis tribuunt.

Sed ad qualitates accedamus. Inter has ponuntur, Salſum, Oleaginoſum, ſeu Pingue. Rogo, an vnquàm qualitatem ſalſam, ſine ſalis corpore guſtauerit? Ego profectò e quocunque ſalſo, ſal elicui, quo diluto, nihil ſalſedinis ultra in ſubiecto fuit reliquum; ergo ſalſedo non eſt qualitas Phyſica, ſed Logica, & reuerà eſt ſubſtantia. Docet, hoc ipſum Author, de Aquis aſſerens, *neque pura, aut ſimplex, aſſignari poteſt, quæ non ſalis nonnihil admiſtum habeat.* Ecce ſal eſt, quod reddit ſalſum; non qualitas. Attamen nimium liberalis eſt, dum vel aquæ puræ, ac ſimplici ſal admiſtum eſſe docet; Si enim pura eſt, ac ſimplex, omni miſtione caret, cuiuſcunque extranei: Si miſta, ergo non pura, ac ſimplex.

De oleaginoſo verò ac pingui, non eſſe has qualitates, docet Philoſo-

phus,

Meth 4. fer. 4. c. 1. phus, qui Oleum ex miſtione Aquæ, & Aeris coaleſcere aſſerit; Oleaginoſum autē, ab Oleo eſt, & dicitur ſubſtantia, non qualitas Oleaginoſa, ac pinguis. Non igitur Qualitas eſt, ab Aeruginoſis aquis promanans. Sed ordine examinemus.

Ex Salſis; qualitas Acida. Ego ſemper ſalſum ſum expertus, quotieſcunq; ſalſa in cibos aſſumpſi; neque Coqui ſalire aſſolent, vt inde iuſcula aceſcant. Niſi fortè velit id effici, quoniam Salis ſpiritus ſit acidus: atque acidus eſt, & ſpiritus Nitri, Vitrioli, Sulphuris, pariter igitur ex ijs proficiſcentur qualitates acidæ.

Ex Nitro, Amara. Aquæ quibus Nitrum ineſt, Amaræ non ſunt, ſi amarum ſit, quod dulci opponitur, vt Opium Abſynthium, & ſimilia.

Aluminoſa; Salſa. De Alumine docet eſſe *guſtui ſubdulce, pungens linguam* Pag. 249. tit. 4. *unde in amarulentum, & inſigniter adſtringens paulatim abit.*

Nullæ porrò harum affectionum cōmunes ſunt Sali; quomodo ergo ex Alumi-

luminosis Aquis orietur qualitas salsa?

Vitriolatæ; Calidæ. Actu, an potentiâ? Non actu, ego namque plerumque frigidas bibi. Potentiâ, ac virtute? Pro refrigerando exhibentur.

Sulphureæ. *Frigidæ*, In Styriâ, Austriâ, hic in agro Patauino Aponi, feruent; neque vllæ sulphureæ sunt, quiâ bituminosæ, quas ebullientes docet, igitur, & sulphureæ ebullientes erunt. Si dicas effectu frigefacit: Sanè & spiritus Sulphuris, & Nitri, & Vitrioli.

Ex Calce, & Gypso; Venenosæ. Quid de Arsenicalibus? Calx, aut gypsum non soluuntur aquâ, sed quod ijs sal inest, quod fateor, noxiâ præditum qualitate; aditque quandam salsedinem. Philosophus autem propriam, & proximam causam reddat opportet; non remotam.

Metallicæ; *Coloratæ*. Hoc asserit forsan, quia Metalla aquis causticis dissoluta eas colorant; vt Aes, in viride, Argentum, in cæruleum, Aurum in aureum. Cæterum aqua simplex nulla, Metalla soluit, vt inde coloretur, quod

quo-

quotidiano vſu comprobatur; in quo Aurea, Argentea, Cuprea, Stannea, Ferrea, Plumbea vaſa aquas colore inalteratas, longiſſimo tempore ſeruant.

Mercuriales, Trāsformatiuæ. Cuiuſmodi qualitas ſit iſthæc, non auſim aſſerere, neque enim eam valeo mente concipere. Philoſophus quidem inter Formam, & Figuram; item inter Transformare, & Transfigurare diſtinguit; attamen ea fiunt in ſubſtantiijs, non in qualitatibus, neque Transformatiuæ qualitatis acceſſu, quare hanc non reperio. Eſtne quà vnum Vegetabile transformatur in aliud? Aut Metallū? Aut hæc ad inuicem? An verò Aquæ illæ fabuloſæ, de quibus Petrus Mexias, en las Noches de Inuierno, vel in Silua de varia lection?

Cap. 3 de qu alit. 1. Phyſ. t. 60. 63.

Sed cum lapideſcētibus claudamus, de quibus, *lapideſcentes quibuſcunque membris ſalubres* eſſe dicuntur. Puto ſanè, Loti Vxorem ab omni liberatam morbo, cum in Statuam Salis eſt verſa. Docet Author, de aquis Lęthiferis agens, aquam quandam Stygiam eſſe

Pag. 280.

in

in Arcadia, eamque læthiferam, cuius læthalis qualitatis rationem reddens, eam pollere putat, vi lapidifica: sic namque habetur *Cuius quidem rationem esse putem, vel vim quandam aquæ, quà pollet lapidificam.* An non igitur egregiam salutem præstolabimur ab aquis, quæ *tàm homines, quàm iumenta enecant?*

Non duxi prætereundum hoc loco, Pag. 280. id quod de aqua illa opinatur, quam Magno Alexandro in potum lęthalem datam ferunt, quæ non nisi equi vngulà contineri potuerit. Rationem huius reddit talem. *Cum ex nitrosis excrementis vnà naturali quàdam pinguedine iunctà, in corneam quandam materiam Naturæ industrià concrescat, fit vt illa, naturali quàdam sui conditione rosiuis aquis resistat.* Primò si ad naturalem quandam sui cõditionem recurrimus, idem est, ac si ad occultas qualitates confugeremus; assuetus recursus eorum, qui nihil dicentes, omnibus quæstionibus faciunt satis. Vt attamen aliquid videatur dixisse, asserit didicisse se, aquam Regiam siue Stygiam, *ex sale Nitri, Alumine,*

aut

aut Cinnabari extractam, suprà corneam laminam effusam, illam illæsam seruare. Huiusmodi igitur eam aquam fuisse opinatur.

Erratur primò in Aquę Regiæ confectione; neque enim ea, quam Author nominat, potis est Aurum soluere, vnde Regiæ nomen: sed requiritur, aut salis Ammoniaci, aut communis additio, siue ea fiat destillatione peracta, siue in actu destillationis.

Insuper falsum est, Aquam Regiam non soluere vngulam, aut corneam Equinam; quamuis enim ad oculum eã non soluat, si tamen per diem, ac noctẽ ei Aquam Regiam infuderis, siue corneam eidem immiseris; totam penè vngulam ad tactum in pultem resolui cõperies. Sed huiusmodi eam non fuisse, neque esse potuisse, quam Alexandro præbitam Iustinus, & Vitruvius Authores existunt, inde liquet, quod eá nullo alio vase, quàm equi corneà cõtineri potuerit; atqui Aqua Regia, vt ostensum est, post temporis interuallũ corneam exædit, & vasis vitreis opti-

mè continetur. Fallitur igitur Author, in coniectura. Adde Aquam Regiam alio liquore dilutam non enecare, ſed ſummùm mouere vomitum.

Dum mineralia percurro, quibus aquas affici, aut infici docetur, in obſeruabilem Aluminis definitionem incidi, quam dignum duxi quæ recolatur. *Pag. 312.* *Alumen eſt ſalſugo ex aquâ lapidibus limo Aluminoſo coalita.* Hoc eſt vt clarè loquamur, Alumen eſt, quod ex Aluminoſis principijs cooritur. Ita ſine diutina ſpeculatione definitiones omnes haberi poſſunt: ſexum eſt, quod ſaxeo principio, Metallum, quod metallico in Metallum, aut ſaxum coaleſcit.

Ab hac pulchrâ definitione, ad Nitri ſubtilem purgationem deſcendamus. *Si Nitrum, vel purum, ſiue impurum, imperfectum, ignobile, varijſque miſcellis contaminatum, ignium torturâ, per diſtillationē multoties repetitam ad perfectionem reduxeris, tandem puriſſimum Nitrum, & quod præſtantiâ nulli alteri Nitro, quantumuis puriſſimo cedat, reperies.* *Pag. 304.*

Rogo vbi reperiam illud puriſſimum

Nitrum post destillationem? in Recipiente, an in Retorta? Si vnum in Retortã indideris, aliquid insipidi Phlegmatis exstillabit, Nitrumque æquè impurum, sed fusum in massam, in Retorta reperies. Si lutum figulinum, laterum, aut tegularum farinæ triplum, aut boli communis, terræve Lemniæ addideris, prodibit in Spiritum, & in capite mortuo (vt dicunt) hoc est in materia, in Retortà reliquà, erunt fœces cum aliqua Nitri portione. Quod si destillationem repetieris, totum resoluetur in spiritum. Hunc porrò si millies destillaueris, nunquam purissimum illud sal Nitri, quod somniat, reperietur: sed eundem spiritum semper magis diminutum, ob adhærescentiam vasis, est namque valdè vnctuosus, & ob effumationem, & euaporationem cum vasa recluduntur, vt demum totus facessat in auras. O' pulchram, ò præclaram, & notatu dignam NITRI purgationem.

Pag. 319. At de Vitriolo artificiato experimẽtum accipe, non negligendum. *In lateritio*

ritio quodam tigillo, exponatur gleba ferri, aut æris; huic spiritum Sulphuris supeerfundas, & intra exiguum temporis spacium comperies aquam totam Vitriolo imbutam, odore, colore, sapore. Vnde hoc? *Siquidem spiritus Sulphuris glebæ areæ superaffusus statim eam rodendo dissoluet, quò dissolutam liquor Sulphurei spiritus ad se trahit, quod intra glebam latet Vitriolum, siue minutissima corpuscula Vitriolacea.*

Oleum Sulphuris siue Spiritus, aut simplex, aut aquà mistum modo prędominetur, & aciditate præpolleat, Ferrum, aut Aes in Vitriolum vertit: Quare fallitur Author, cum censet Vitriolacea corpuscula spiritu Sulphuris attrahi; sed immò ipsa Ferrea, aut Aerea ramenta glebæ inexistentia, in Vitriolum vertuntur, quod vt dixi, ex ipsis Metallis conflatis, in rasuram reductis, (quò faciliùs soluantur) habere licet. Frustrà igitur glebam requirit, vt ex ea fiat admiranda illa attractio, quæ est vera, & realis Metallorum solutio, eorundemque ramentorum, realis in Vitriolum conuersio.

Sed quid de cinere? *Cinis est puluis* Pag. 328. *incendio residuus, in quem res vsta redigitur, & se habet vt arena ad saxa* (nota) *glebasque minerales, vnde deciditur*. Igitur & ligneæ rasuræ cinis erunt, quæ se habent ad ligna, vt *arena ad saxa, vnde deciduntur*. Arena, est actu saxum, & natura saxea, quod facile obseruare licet Microscopij subsidio, quo eam in varias formas distinctam videre possumus. Non ita cinis, qui se habet ad salem Plantalem, vt tegumentum.

Obseruo arenulas dici decisas à glebis mineralibus, ergo nihil obstat, quominùs succi mineralis aliquid retineāt in venulis, neque enim sunt Physicè indiuisibiles. Pag. 247. Vt quid ergo negauit arenulis vim inesse aurificam, eoquod venulis careant, in quibus mineralis succus latitet? Profectò adeò subtilis est ille, vt quàuis vel minimà venulà contineri possit; quare in Gange, ac Tago, possunt arenulæ esse auriferæ.

Quod autem subiungitur, non minùs est considerabile, *Cinerem non omnem eàdem facultate præditum esse, sed pro combu-*

ſtæ facultate materiæ variari. Vnde concludimus, cineres ex calidiſſimis rebus combuſtis reſiduos, calidiſſimos eſſe. Mala conſequentia. Non cineres, ſed è cineribus ſal eductum, ſeu cineres ratione ſalis: cinis namque ex quo ſal ſegregatum eſt, nullius omninò eſt efficaciæ, aut ſaporis, e quocunque tandem combuſtibili, ſiue animal, ſiue vegetabile fuerit, ſit reliquus.

Sed neque aduertit, aut fortaſſe nouit, ſales magis minùſve acres ex eodē cinere elici poſſe, iuxta variam vegetabilium combuſtionem, ſeu calcinationem eorundem, & cinerum variam confectionem: immo & varium ſalium educendi modum: Quare effici poteſt, vt ſal lactucæ, quæ frigida eſt, longe acrius educatur, quàm e radicibus Pyrethri, quod exempli loco adfert Author, pro cinere calidiſſimo.

Vt tandem de cinere concludat, & Metallis ſuos ineſſe cineres docet, immemor ſe Metalla in calcem ſolùm, nō verò in cinerem verti docuiſſe; & bene. Namque ſi cinis eſt *puluis ex incendio re-* Pag. 245.

liquus. Ergò quæ incēdi, seu inflammari nequeunt, nequeunt quoque in cineres solui. Sed inter calcinata Metalla, & cineres hoc insuper interest, quod calcinata Metalla, immò & vitrificata, iterum possunt reduci; non verò quæ incinerantur; Quare multum differunt ab inuicem, calcinatio, & incineratio, de quo consulātur Spagyrici. Nisi fortè scorias dicat cineres; At scoriæ, non sunt puluis incendio reliquus.

Negligendum non duxi modum, quo ex aquarum destillatione, minerarum naturam elici docet, quà pollēt. Aquà namqne minerali exstillatà, sedimentum exsiccatum eximi iubet, quod *su-*
Pag. 253. *pra tabulam ferream politißimam, igne cādentem exponatur: Si igitur aquis fuerint comixta Cinis, Gypsum, Calx, Sulphur, Sal nitrum, Alumen, Vitriolum Cerussa, iuxta singulorum naturam examen instituēs, &c.* Calcem, Marmor, & Gypsum, remansura docet candidiora ac fulgentia, cū aliqua tamen differentia. Sal, ac Nitrū, crepitu se prodent, Sulphur odore, Cerussa colore intensè rubeo.

De

De Sulphure, ac Salibus non ibo inficias, ſed in Gypſo, Cinere, ac Marmore, quæ non ſolvuntur aquis, itaut ijs incorporentur non conſentio, quare neque in extillatione reſidebunt. Cõſtat in lixiuijs, in quibus ſalia ex cineribus, aut calce eliciuntur, ipſa corpora non miſceri aquis, ſed eorum ſaliã, quæ vtique in deſtillatione lixiuiorum reſident; ſed non Marmor, Calx, Gypſum, aut Cinis. De Ceruſſa verò, longè minùs eſt tolerabile hoc documentum, Ceruſſa enim vel ipſo Teſte è Plũbo, vapore aceti calcinato conficitur; Quis ergo Ceruſſam aquis immiſcuit, vt reſideat ex deſtillatione? Adde, aquà non ſolui, ſed in ipſa reſidere, ac fundum petere, ergo harum rerum Doctor propriam non eſt expertus doctrinam.

De Salibus ergo, ac Vitriolo id conceditur, quæ in varià formà concreſcunt. Spiritus autem ſapore in ipſis aquis agnoſcuntur, de quo peritiores Spagyrici, ac Chymici conſulantur.

Cæterum, cum prolixum nimium ſit futurum examen, vbi omnia librare vo-

luero (quæ ſanè paſſim occurrunt, & ſunt innumera) his contentus erit.

Pag. 320. Eapropter non inquiram in magnum illum Magnetiſmum, quem inter Aes, & Ferrum intercedere docet; & negat

T. 2. Pag. 354. illum inter Mercuriũ, & Aurum; Attamen hoc loco, eundem hiſce concedit.

Pag. 321. Non referam falſum eſſe, ſubulam, aut cultellum ſpiritui Vitrioli intincta rubeſcere, *ex attractione corpuſculorum Aereorum*, quorum nulla Spiritui inſunt, etſi inſint aquis vitriolicis, & attramẽto ſutorio, aut ſcriptorio; in quibus ſubulam fateor rubeſcere.

Pag. 322. Falſum quoque eſt, *Vitriolum omnia Metalla præter Plumbum exædere.* Aurum namque non exædit. Falſum, Alumen

Ibid. Vitriolo contineri, eoquod *ex eodem pyrite connata, & commiſta* multa enim ex eàdem minerali glebà educuntur, quorum vnum altero non continetur. Im-

Pag. 314. mò vbi ipſe de conficiendo Alumine modum refert, nihil prorsùs de Vitriolo habetur. Hoc tamen in eà confectionẽ obſeruatu dignum, quod ab Alumine aquam doceat imbibi, cum potiùs

ve-

verum ſit, aquam Alumen diſſoluere, & ſibi incorporare: cum namque ſal in aqua ſoluitur, non bibit aquam, ſed aqua potiùs ſal comedit. Continens recipit, contentum recipitur. Sed quoniam nõ hunc laborem aſſumpſi, vt hęc volumina examinarem; tangam duntaxat nonnulla, & in Tomo 2. neque longiori trutinationi ſubijciam.

Ridiculũ eſt oleũ quod ex Asbeſto in combuſtibiliter ardeat, cum ſuprà docuerit, & benè, quidquam ardere poſſe, quin conſummatur. Eſt namque certũ ex Philoſopho flammam eſſe fumum accenſum, neque quidquam ardere, quin inflammetur; carbones namque ſiue minerales, ſiue communes, non ardent omninò ſine aliquà inflammatione, ac ſine conſumptione; eſt igitur oleum Asbeſtinum merum figmentum. Pag. 71. Pag. 69. 2. de gen. t. 28.

Adamantem inter venena locat, ob vim causticam *Introſumptus Venenum eſt, ob cauſticam vim.* Aequè igitur cauſticum erit vitrum, & maximè cauſtici pugionum mucrones. p. 78.

Viperas correctas aſſerit in cibum

poſſe

Pag. 110. posse vsurpari. Sanè absque vllâ correctione Viperatis pullis vescimur, & canes innoxiè capita caudasque Viperarunt deuorare assueuerunt; Quare de huius veneno non adeò exactam habere videtur notitiam.

Pag. 125. Mercurius infęlix, in potentissima relegatur venena, quamuis certum sit nulla venefica qualitate esse prçditum, vt pluribus experimentis ostendit Io. Rhodius in obseruationibus Medicis. Et longè fusiùs Iacobus Primerosius, in tractatu de Vulgi erroribus in Medicina. Sed quia Author, quæ exscripsit, non quæ est expertus edit, Dioscoride, Aëtio, Galeno, & Auicenna testibus est vsus. Eius veneni causam refert, in summam eius volatilitatem; atqui longe magis volatilis est aqua, aut vini spiritus. Non euaporat Mercurius, nisi igne validiore vrgeatur, quem Natura non excitat in nobis. Quare si Dioscoridem considerasset, nouisset, non in eius volatilitate, sed in pondere noxiā vim constitui, quare non nisi largissimè sumptum obfuisse, vnico exemplo Pri-

Obs. Med. cent. 3 obs. 85.

c. 29. & 30

me-

merosius ostendit; immò absque vlla præparatione, medicamentum vtilissimum pluribus experimentis demonstrat. Fateor tamen eum euaporantem, Paralysin adferre consueuisse, quà omnes fermè in eius fodinis operantes in Hydria, laborant, & facile in eam labuntur Aurifabri, aut qui Aurichalcho deaurando dant operam; cuius ratio est, non venenosa qualitas, sed eiusdē subtilissima substantia, quæ cerebrum penetrans, eiusque massæ sese insinuās, neruorum radicibus inhærens, eosdem afficit, motumque, veluti compede sistit.

Hæc carptim excerpsi cum Mundum Subterraneum peregrè peruagarer, quę non contradicendi studio, aut redarguendi libidine, sed veritatis amore Authori pensitanda remitto; vt aduertat longè exactiori præditum esse oportere rerum Chymicarum peritia eum, qui Chymicis Philosophis audet insultare. Hæc namque facilia, ac leuiora, exactiùs antea fuerant examinanda; Chymici namque isthæc obijcient,

cient, non quas furor ipsis, sed quas suggesserit veritas oppositiones, non titiuillitio, sed magni omninò empsitandas.

CAP. XVI.

De rerum omnium Primario Principio, ac de Vniuersali Naturæ semine, ac specifico.

EXactâ Chymicę veritatis discussione, dignam planè Philosopho indagationem adoritur: & quoniam in re omninò verâ, modus, & processus non omninò meo iudicio Naturę consentit, cum ipso Authore mihi liceat hunc ipsum examinare.

Materiam Chaoticam, a Deo Opt. Max. initio temporis conditam, e cujus græmio Naturam Vniuersam eduxerit, ex Chymicis Philosophis, qui hęc deprædicant affatim, satis est notum: Id enim docet Raymundus in Theorica testamenti, Sendiuogius, Fludius, & vt omittam reliquos, idipsum asserũt omnes,

nes, quotquot modernis temporibus de Magisterio disserũt, inter quos Cortelasseus, in Cabala fusè hæc habet, & est omnium benè sentientium opinio.

Ex hac Chaotica, siue Hyleali massa, omnia educta esse elementa, ac Cœlos, non omninò assentior. Ignis namque siue lux, non ex ea condita fuere, namque separatim eius habetur creatio; ita etenim sacer Textus se habet. *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erãt super faciem Abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gen. 1

In hac creatione inuenio, Cœlum, terram, Abyssum, seu aquam, & Spiritum, siue Aerem, namque Ruach, spiritum, aut ventum, vt nosti significat; quare vana est interpretatio eorum, qui Spiritum Sanctum intelligunt; Hic namque spiritus, Aer erat, cuius locus naturalis est aquis incubare, vel maximè quia cum in eo omnia semina primam sortiantur originem, super terram, & aquas ferebatur, quia illa, aquis præfocata, vacua, & inanis nullam vim semi-

nalem

malem in se retinebat. Necessarium igitur erat agens, quod vt vehiculum seminum, ea terræ committeret; ideóq; dixit Deus, *fiat lux*. Non diuidatur, sed *fiat*, vt ostendatur lucem, seu ignem, nó in Chaotica massa concreatos fuisse, sed separatim creatos, in qua creatione, cum nulla alia ignis facta sit mentio, sequitur eum idem esse cum luce, eumque veluti formarum formam operatiuam, & actiuam, ab omni elementali contagione secretum, productum esse, quod suprà docuimus.

Ex hac igitur, quàm formarum formam diximus, etiam omnium materialium viuentium formarum materiam esse asserimus, e quà specificas formas Deus Omnipotens ædificauit, particulis ex eà quodammodò sigillatis, vt quotiescunque Vniuersale semen reciperent, eædem ipsi virtutem particularem imprimerent.

Hæc autem Aeri primùm communicauit, tamquam ei, qui ad omnes impressiones lucis suscipiendas facilimus extitit, quas aquà mediante, terræ ma-

trici

trici ſemina ſpecialia communicarentur.

At quoniam ad Naturæ conſeruationem neceſſum erat, vt aſſiduum miniſtraretur alimentum, Panſperma creatum, ex omnium elementorum ſubtiliori parte, vt ita omnibus communicari poſſet, lucis, ſeu ignis vi viuificà dotatum, cuius fontes Solem, Lunam, ac cætera ſidera conſtituit, idque quintã eſſentiam appellamus, omninò incorruptibile, ſiquidem æquali omniũ qualitatum libratione commiſtum, ideoq; ſtellarum elemento proportione reſpondens, quemadmodum, vel ipſe Philoſophus docuit, proportione inquam incorruptibile, luminoſum, viuificum, fouens, mouens, conſeruans. *2. de gen. anim. c. 3.*

Iſtud igitur Panſperma, ſiue Vniuerſale ſemen, quod è cœlo per ſiderum irradiationes in hæc ima defertur, in Aere Sulphur, in Aqua Mercurius, in Terra Sal nuncupatur; Neceſſarium nãque eſt ita ſenſim corporaſcere, quominùs ab extrema ſubtilitate, ad craſſitiem extremam nullo medio deducatur,

tur, contra assuetas Naturæ leges, quę in omnibus operationum gradibus per medias progreditur.

Ex hoc fundamento, licita Astrologia suas prædictiones, facilè assequitur: Variatur etenim Vniuersale hoc semen, in subiectis in quibus recipitur, ideoque in Saturno alià, alià in Ioue, alià in Marte naturà dotatur; non quidèm indiuiduatà ad peculiarem specié, sed ad peculiarem qualitatem; & quéadmodum in inferioribus, per Spagyricam obseruamus, variarum affectionũ vapores variè operari inuicem permistos, aut sibi obuiantes, ita spirituosa hæc substantia, per variam syderum sibi occurrentium irradiationem alterata, in elementari regione varios edit effectus, beneficos, aut maleficos, iuxtà radiorum concurrentium naturam.

Triplex igitur hinc Naturæ Regnum exoritur, Mineralium, Vegetantium, & Animalium, quam specificationem accepit Vniuersale hoc semen, a sigillato specifico Semine, Terræ in primordiali rerum creatione, luminis beneficio cō-

mu-

municato, quod illud aeri, aer aquæ; terræ aqua communicauit; quem ordinem in hanc vſque diem obſeruat Natura; ideòque res ab aeris, & luminis beneficio ſemotæ, parùm, aut nihil vegetant, neque creſcunt. Ita ſterilitas oritur in ijs terris quæ aquæ benefico humore priuantur, quia vehiculum deficit, quo Vniuerſale ſemen, in peculiarium ſeminum incrementum communicetur.

Vapor porro ille Mercurio Salino Sulphureus, non peculiari creatione à Deo creari opportuit, ſed ex eodem Panſpermate gignitur; cũ etenim hoc, in triplici eleméto corporificetur, Sulphureo Mercuriali Salinà dotatur naturà, neque peculiari creatione indiguit. Hoc autem fit; quoniam cum ex eàdem ſubtiliſſimà, ac puriſſimà elementari ſubſtantia, vt dictum eſt, fuerit, antequam ſyderibus inderetur à Deo creatum, vim retinet, vt in ijſdem corpoream molem aſſumat, quod ſi quis defœcatum ac purum habere potuerit, hic omnium Arcanorum Arcanum con-

sequetur.

Hic namq; Spiritus est ille viuificus, non quidam, aut vagus, vt ab Authore nominatur, sed hic huiuscemodi specificus, in sua tamen generalitate, luminosus, & igneus, qui materialis quidē est, quia elementalis, siue ex elementali substantia immistus, qui vnà cum lumine defluo, à syderibus in hæc inferiora descendit. Ignis seu lumen, est eius vehiculum, illudque secum vnà deducit, & rebus omnibus communicat.

Hæc est substantia illa, quam veri Chymici, ad opus Physicum assumendam censent, quam quærunt, & in qua omnem suam intentionem fundant: cum etenim ex ipsa facta sint omnia, vt ex proximà, & immediatà materià, igne viuifico, seu luce primordiali agēte, ita per eandem, cuncta restitui posse, & in virtute multiplicari arbitrantur.

Triplex igitur Regnum, & ipse Author, in matricum diuersitate constituit, quæ omninò se habent, vt forma accidenralis, & artificialis, quà metalla liquata in diuersas effigies formantur;

tur; ita hæ vniuersale semen indiuiduare possunt. Neque contradicimus ijs, quæ paulo ante docuimus, de semine specifico; hoc enim est in ipso composito; illud in matrice; hoc in mare, illud in fœmina; hoc in viuente, illud in solà terrà, quæ omniseminarium dici potest, siue quia omnia recipit semina, seu quia omnigenum seminum receptaculum, & matricibus varijs distincta, apta sit etiam sine peculiari specifico semine, ipsum Vniuersale in varia genera discriminatum promouère. Fieri verò hoc dicit Author, combinatione quàdam ineffabili, Deo soli nota; in quà idem vagum indiuiduum vsurpat quod Chymicis confutandis obiecit; attamen necessarium est indiuiduo vago vti, quando determinatum nos latet, aut aperire non expedit.

Ineffabilem ego vim illam matricum, quam asserit AUTOR, satis aptè videor mihi explicari posse, vt paulò antea attigi, in exemplis artificialium, in ijs scilicet, qui è cera, aut metallo liquato effigies fingunt, aut fundunt, qui è creta

aut re alia formas confectas habent; quas res effigiandę subeunt cum ijs immittuntur. In terrà igitur loca ipsa consimilem vim obtinent, à Deo sibi inditam, siue ea sit sulphureâ, siue salinosâ, siue mixtâ substantiâ confecta. Et sanè pro Metallis sulphuream esse, videntur omnes docere Philosophi; pro Vegetabilibus, ac Animalibus, salinosam; Mercurialem nullam esse opinarer matricem, hæc namque consistentiam, & soliditatem videtur necessariò habitura, vt Vniuersale semen liquidum fluidumve suscipiat. Mercuriale porrò est humidum menstruale, quod Matricibus inest, quo semen dissoluitur, ac putrescit; ita se habet in vtero animantium; item huiuscemodi esse conuenit particulare rerum semen, vt facilius in matricem infundatur, eique adaptetur; similiterque Vniuersale semen; ita tamẽ, vt cum coagulabile sit, etiamsi primo intuitu Mercuriale videatur habeat cor-
2. de pus, quod crassescit vti Philosophus
gene. docet: attamen habet triformem sali-
ani. no, scilicet Sulphureo Mercurialem
c. 2.
Na-

Naturam. Et hoc pacto meo iudicio benè explicari opinor, & ineffabilem illã specificatiuam Naturæ vim, & seminis vtriusq; ac Mercurialis humoris quidditatem.

Parum tamen consequenter, loqui videtur Author, ad principia; cum namque hic doceat matricibus à Deo ineffabili quodam modo, vim specificam Vniuersalis seminis determinandi inditam, alibi docuit Alumini, ac Vitriolo eandem esse matricem, quo fit vt magna iis intensit necessitudo; attamē duo hæc maximè inter sese diffident, siquidem & eorum natura, quæ ex effectibus agnoscitur, toto cœlo diuersis, necessariò diuersa est, & in aqua soluta, omninò ab inuicem secernuntur, & separata seorsim concrescunt; si namque eandem haberent matricem, eiusdem speciei esse opporteret. Mũd. Subt. p.par. pag. 316. c. 4.

Asserit dein elementa, eius seminis esse materiam remotam, in quo ego nequeo consentire, cum ex à me iam dictis, eorum subtile, huius compositionem ingrediatur; fateor tamen ea esse,

in quibus corpulentiùs efficitur, & eorum elementari corpore, tanquam testà, ipsum semen obducitur, vt per ipsam ab aduersantibus elementorum insultibus præseruetur.

Hinc dotes illæ consurgunt, quas Author ipse, huic inesse docet, Attractiuam scilicet, & Plasticam, seu Architectonicam, quam & Magneticam asserit; eas etenim ex propria seminis essentia ei inesse, & conuenit, quà similia, sibi similia appetunt, & ab iis quæ amant, simul & conseruari contingit. Habent porrò hanc virtutem à Matrice, à qua cum speciem sortiuntur, vim pariter assumunt cum forma, quà quod erat informe, in sui similitudinem vertitur. Ita aqua, (vti benè Sendiuogius) in varios colores effusa, eorundem naturā assumit, quam alii aquæ, seu quouis idoneo subiecto communicat; cuius rei siquis curiosiùs & altiùs causam exquirat, aliam nullam adinueniet, quàm ipsius rei naturam in qua necessariò sistendum, quominùs in infinitum procedatur.

Do-

Docet Author & benè, ſemen hoc vitam Plantis, ac Animalibus tribuere, ſiquidem ipſum in ſe eſt vitale; idipſum tamen denegat Mineralibus, quà verò conſequentià, ipſe viderit. Cum etenim *viuere* ſit moueri ab intrinſeco, quodcumque intrinſecam vim habet alimentum, in ſui naturam conuertendi, id viuit. Inſuper, principium hoc idẽ in omni regno inexiſtit, ergo ſi principium eſt in vno vitale, nequit in alio non eſſe, ſiquidem *idem manens idem, ſemper eſt natum facere idem.* Non dico viuere Mineralia, vità Plantarum, aut Animantum, id enim nõ à ſemine Vniuerſali habetur, ſed ab Anima; igitur, vitâ eâdem, quam tribuit hoc ſemen, omnia quæ eo potiuntur, pariter obtinent.

Anima verò, entelechia eſt corporis Phyſici, & organici, quæ ergo organis carent, non dicuntur habere Animam. Ideòque Mineralia Animata non ſunt, non tamen vità expertia.

Dices hoc eſſe contra omnes Philoſophos, qui Animam, & Vitam viden-

tur promiſcuè vſurpare. Reſpondeo dixiſſe me, hanc eſſe quæſtionem de voce. Et certum eſſe apud omnes, quod motus ab intrinſeco ſit actio vitalis, ideò quæcunque ab intrinſeco mouentur, vivunt. Viuere porrò Animâ, eſt eſſe organicum Viuens, quare quæ organis carent, carent hàc Vità. Idcircò obſeruandum, vitam Vegetabilem, & Senſitiuam, non conſtitui in indiuiſibili, ſed dari in iis gradus; vt quæ perfectiora ſunt, perfectiori vità fruantur; & quemadmodum in Animalibus dantur perfecta, & imperfecta, ita quoque in Vegetabilibus.

In hoc autem videtur Vniuerſale vitæ genus conſtitui, in materialibus, & corruptibilibus, quod creſcant, & ſint ſui multiplicatiua in eàdem ſpecie, quare cum ſemen iſtud det augeri, & multiplicativum ſit in Auro Argento cæteriſque Metallis, ac Mineralibus; idcircò dicitur, imò eſt Vitale. Quod ita probatur: cui ineſt principium Vitale, hoc eſt Vitale; atqui omnibus Metallis ac Mineralibus, ineſt principium vita-

le

le, ergo ea ſunt Vitalia. Maior videtur clara, & per ſe nota; Minor probatur, in ſententia etiam ipſius Autoris. Panſperma eſt principium vitale, ſed hoc ineſt omnibus Mineralibus ac Metallis, ergo iis ineſt principium Vitale.

Reſpondebit fortè negando Minorem, ad Probationem diſtinguendo Maiorem; Panſperma, eſt Principium Vitale in Vegetabilibus, & Animalibus, concedo Maiorem, in reliquis, nego; ſed hoc eſſet petere principium, quare non opinor ita reſponſurum; ſed potiùs dicet aliquibus ineſſe principiũ Vitale, vitaliter, aliis non vitaliter; hoc eſt in aliis functiones Vitæ exercere, in aliis minimè, eoquod non ſint eius exercitii capacia. Sed reſponſio erit mendicata, non enim propterea quod in actu ſecundo non viuant, non dicentur non viuere; etſi enim animal, dum dormit non ſentit, attamen negari non poteſt eſſe ſenſitivum. Idem eſt de Metallis.

Confirmo in ipſius Authoris ſententià, qui in ſalibus Vegetabilium docet

residere vim Plasticam, quæ vitalis est, esto non in actu secundo viuant, nisi cum terræ commissa solvuntur, tunc etenim vitam exercent; idem igitur, de Metallis dicendum opinor, neque in hoc discrimen vllum aduerto, neq; rationem in contrarium. Hoc sanè docēt, omnes Philosophi Chymici; & si in Peripateticà doctrinà vnius Aristotelis dictum, fidem adstruit, non videtur cur fidem non sit facturus, sexcentorum Autorum in eandem opinionem consensus. Ideò frustrà obiicietur esse cōtra omnes Philosophos id, in quo tantus Philosophorum cœtus consentit, vel maximè qui de Natura deq; rebus Naturalibus acutè, scitè, ac sapientissimè disserunt. Sunt namque & isti Philosophi, & Naturæ indagatores solertes. Quare latiùs patet vita, quam Anima; namque viuere, est moueri ab intrinseco; esse verò Animatum, viuere à principio corpus Organicum exigente. Fateor tamē sæpe à Chymicis Philosophis dici Metalla animata, sed tunc, Animam pro vità accipiunt; neq; Ani-

mam vſurpant in rigore Peripatetico.

CAP. XVII.
De conſenſu huius Philoſophiæ, cum principijs Peripateticis.

QVicunque Neoterici, de rebus Chymicis ſcribunt, adeò Peripateticos inſectantur, vt videatur Ariſtoteles nihil omninò nouiſſe. Veteres tamen Chymici, Lullius, Treuiſanus, Bonus, & alij, adeò Peripateticis inſtitère fundamentis, vt vix quidquàm, ſine Philoſophi auctoritate protulerint: quare æquum duxi, & hæc principia, lance Peripatetica appendere.

Dupliciter poſſunt rerum principia conſiderari: primò ſub generaliſſima acceptione, quàtenus omnia quæ ſunt in rerum Natura complectuntur. Secundò, in particulari; quàtenus ſunt principia multorum. Hanc diſtinctionē inſinuat Philoſophus, cum dicit, actum, & potentiam generaliter accipi, vt Analogiam cum Phyſicis, etiam in Me- 12. Meth t. 26.

tha-

thaphyſicis probet. Cum igitur principia in omnibus quę genere differunt, neceſſe ſit genere differre, alia erunt Principia ſempiternorum, alia corruptibilium.

1. Po- ſt. t. 17.

Horum autem alia ſunt, omninò prima, & mediata, alia proxima, & immediata. Mediata ac prima ſunt, quæ proxima efficiunt, neque alia ſe priora admittunt; immediata verò ſunt proxima, & è quibus res proximè componuntur. Mediata ac prima, ſunt solūmodò intelligibilia ſecundum Analogiam ad res artificiatas, quare neque ſeparata exiſtunt, ſed ſemper ſunt in compoſito. Immediata verò, ſecundum ſe intelliguntur, & exiſtunt, cujuſmodi ſunt corpora prima, aut elementa; ea namque corporum principia immediata ſunt, ex quibus corpora proximè, & immediatè coaleſcunt; & quæ ſunt in potentia corpus ſenſibile ſecundum contrarietatem.

1. Phy t. 69.

1. Meteor. t. 1.

Cum ergo de principijs Philoſophus diſſerit Phyſ. primo, ea vt intelligibilia vſurpauit, cum verò de corpore miſto

ilo loquitur, ea immediata, ac realia assumpsit; Terram nimirum, Aquam, Aerem, & Ignem, quæ prima, secundũ contrarietatem dicuntur.

Porrò in hac à Democrito differt; quod hic corpora realia, in sua naturâ assumat, in ea magnitudine, infrà quã esse corpora realia nequeunt; quare necesse est in iis minimũ dari, infrà quod corporis talis natura non consistit; quod etiam docet Philosophus, pluribus locis. Quando ergo asserit Democritus Athomos esse principia, loquitur de partibus elementorum miscibilium, quæ Physicè indiuisibilia sunt; si namque vt quanta diuidantur, non erunt ampliùs corpora, qualia ea esse opportet, vt in mistionem coeant. Vt autem misceri possint varias figuras habere necesse est, vt effectus suos in mixto valeant exercere. Aristoteles autem hanc doctrinam impugnans, impugnat assumendo diuisibilitatem, ratione quantitatis, non ratione entitatis Physicæ.

Phys. 8. t. 43. 1. de gen. t. 89.

Videtur tamen contrariari Aristoteles

teles Chymicis principiis, quia eius elementa sunt corpora simplicia, Chymicorum verò composita, quare in hoc etiam non conuenient: Sed respondeo, & in his Aristotelem loqui de mediatis principiis, siquidem de primis contrarietatibus agit; At Chymici, nō eas excludunt, sed immò admittunt, neque enim negant contrarietatem primarum qualitatum, neque corpora iis subiecta; siue eę contrarietates sint formæ elementares, siue eorum immediatæ passiones, de quo ipsi Peripatetici inuicem digladiantur, sed ex iis docent sua immediata principia componi, quæ ipse Philosophus toto fermè
4. Meteor. 4. Meteororum prosequitur, eorumq; generationem e primis elementis, licet sub alio nomine, scitissimè docet. De elementis autem, vt corpora simplicia agit vti de materia prima, scilicet duntaxat intelligibiliter.

De primis tamen elementis, aliter ego sentiri posse arbitrarer ea scilicet singula, singulis qualitatibus esse prædita, proptereaque inuicem non conuerti,

uerti, nisi inquantum miscentur. Calidum enim simpliciter ignem dici, Frigidum Aerem, Aquam, humidum, siccum Terram appellari. Duo verò siccum, & frigidum se habere, & positiuè, & priuatiuè: Positiuè, vt dixi, omnia sicca erunt, vbi prædominatur terra, quare ignis seu calor, etiam in humido conseruatur, quod fieri non posset, si eius natura, in siccitate consisteret. Siccum verò priuatiuè dicitur omne corpus, in quo aut non sit aqua, aut omninò ita ligata sit, vt nequeat a misto dissolui; ita dicitur siccum omne elementum, vbi non sit aqua, vt Aer, & Ignis; & ita proprio termino terminatur: Similiter omnia elementa, in quibus ignis non sit, dicuntur priuatiuè frigida, positiuè verò, in quibus prędominatur Aer.

Quoniam verò Philosophus obseruauit, ignem, dissipare, aut ligare aquã, vt in lateribus, ac luto accidit, siccum dixit: Aerem humidum, quia vaporibus semper abundat; Aquam frigidam, quia vtplurimum Aeri miscetur, neq;

ignem

ignem ſuſcipit, quin in vaporem ſoluatur. Terram verò præter ſiccitatem frigidam, quod ab igne, vtpotè Cœleſti, plurimùm diſtare animaduerterit.

Cum verò ad miſtionem deſcenditur, ea non niſi alterata concurrere docet, quæ alteratio ex alienà miſtione exoritur. Dicit enim Philoſophus tunc alterari aliquid, quando *manente eodem* Gen.1 t.23. *ſubiecto ſenſibili tranſmutatur in eius paſſionibus, aut contrarijs*; exemplo propoſito, de corpore ſano cum ægrotare contingit, vel de Aere, cum mutat figuram. Quapropter in ſimplicibus elementis talis nequit haberi alteratio, cum nullum ſubiectũ in illis ſit ſenſibile. Quod ſi dicas, ſenſibilem eſſe materiam primam, per qualitates primas; Reſpondeo, id numquam fore, cum nunquam purum, ac ſimplex elementum haberi poſſit, neque qualitates exiſtunt ſine ſubſtantià, a quà non niſi ratione ſeparantur, vt forma à materia, de quà inferiùs cap. vlt.

Sunt igitur miſta alterabilia elementa, & eadem cum Chymicis, Sal ſcili-

cet, Sulphur, & Mercurius, quæ alterationem ſubeunt, cum commutatione promiſcua; eoquod ex eiſdem principijs compoſita ſint, & modò vnum, modò alterum prædominetur.

Neque opponere licet, quod Philoſophus docere videtur, lib. 2. vbi elementa mutuò tranſmutari, ac generari, ideòque alterari docet; namq; optimè poteſt de his principiis intelligi, aſſumendo prima contraria, non tanquàm qualitates à materia ſeparabiles, ſed miſcibiles ad inuicem, quo fit vt retundantur; & ita videntur refringi, cum in miſtionem concurrunt. Cum autem de elementis ſimplicibus loqui videtur, intelligendus eſt de iis Metaphiſicè loqui, quemadmodum etiam loquutus eſt, de materia, & forma, vt ſupra monui. *de gen. lib. 2, tit. 24.*

Elementis verò ſimplicibus, non eas proprietates eſſe eſſentiales, ſeu qualitates, ex eo patet, quia Terrà ignitur, ergo ei non eſt eſſentialis frigiditas, quemadmodum, neque Aquæ, quę calefieri poteſt. Aquæ ergò non eſt eſ-

ſentialis frigiditas. Sicuti neque Aeri calor, hyeme namque eſt frigidiſſimus. Atqui quæ ſunt eſſentialia nequeunt à re adimi, ſine eſſentiæ deſtructione. Idipſum erit, ſi proprietates dixeris ſunt etenim eis propriæ quarto modò, ſi nō ſint formæ eſſentiales. Quod vt faciliùs intelligatur. Dico calorem, quem eſſentialem dicunt igni ab eo communicari Aeri (neque enim eius eſſe poteſt ſubſtantialis forma, alioquin eadem foret duorum eſſentia.) Similiter humiditas, quæ dicitur ſubſtantialis Aeris communicari ab Aqua, cui viciſſim ſuā frigiditatem compartitur. Et hæc eam Terræ communicat. Siccitas verò Terræ eſſentialis, eſt Igni veluti proprietas. Neque dicere licet, omnibus has eſſentiales eſſe, alioquin duplici forma ſubſtantiali conſtituerentur. Cum ergo binas qualitates videtur Philoſophus elementis tribuere, de ijs vt miſtis loquitur; ita enim habet expreſsè
2. de gen. t. 22. *media, & miſta magis eſſe aquam, & aerem;* miſta inquam magis, quia, quodlibet eorum, de triplici elemento participat.

Con-

Confirmatur hoc, ex eo, quod idem docet Meteororum 4. ignis nimirum essentiam calorem esse, quare neque putrescit, quemadmodum reliqua elementa, ergo quia ille vnicè simplex est, reliqua verò mista, siquidem putredo, vt supra diximus est eorum, quæ per partes corrumpuntur. Non autem partes habent (scilicet componentes) homogenea, quia tota entitas in minimo consistit, sed etherogenea. Met. 4.c.1.

Ex hoc facile omnia Meteorologica intelliguntur, positis tanquam principijs materialibus, Sale, Sulphure, ac Mercurio, siue Terra, Aere & Aqua prædominantibus in mistione, quæ omnia ab Igne mouentur, neque eorum vllum sine igne esse potest, qui omnibus est vita, & motivum principium. Ignis igitur in numero elementorum in tantum ponitur, inquantum nullum mixtum sine illo constituitur, non vt materia, sed vt formale principium.

Sed dicet aliquis, si ignis formale princiqium est, ergo omnia elementa erunt idem; diuersitas enim à forma

exoritur, quæ & ſpecies dicitur. Adde omnia binam formam habitura, quod pariter contra veram Philoſophiam, expreſſum eſt dogma.

Reſpondeo aliam eſſe formam, vt Naturam, ſeu motus, & quietis principium, aliam, vt ſpeciem. Quæ eſt vt Natura, conuenit rei, prout eſt motus & quietis principium, quod materiæ, & formæ competit. Secundum autem
2. Phyſ. t. 11.
hoc, res non differunt neque Sal Sulphur, & Mercurius, ſiue Terræ, Aer & Aqua, ſecundum enim hoc, eàdem conſtituuntur Naturà, idemque ijs eſt, quietis ac motus principium. Differunt verò ſecundum ſpecificum, Sal namq; Naturà eſt terreus, Aqueus Mercurius, Sulphur Aereum, quæ differentiæ à ſpecie principij, ac prædominantis elementalis formæ deſumuntur. Non autem repugnat in eodem compoſito plures eſſe formas inuicem ſubordinatas, quemadmodum à Scotiſtis forma corporeitatis admittitur, & benè, quia Animæ ſubordinatur, eique quodammodò, veluti miniſtra in corporis ad

opta-

optationem inseruit; quæ ei nihil offi-
cit. Simili ratione qui formas partiales
admittunt, plures subordinatas for-
mas concedunt, nondum enim perfe-
ctum compositum dicitur, aut est, do-
nec formam principalem obtineat, quæ
est rei specificatiua. Ita docet Philo- *Phys.*
sophus, res naturali motu a prædomi- 8. t.
nante elemento moueri, eumque pa- 33.
riter naturalem esse, qui respectu prin-
cipalis formæ efficitur; Quare homo sa-
liens, naturaliter mouetur, respectu
Animæ, violenter, respectu elemento-
rum prædominij; alius est ergo motus,
qui fit a Natura, alius qui a forma, seu
specie.

Dices formam, & speciem ab Aristo-
tele idem dici, ergo malè à nobis di-
stinguitur, inter vtrumque. Respon-
deo in indiuisibilibus, & Metaphysicis
idem esse, non in Physicis; potest enim
in his distingui forma, vt Natura, & vt
species; neque enim in eo, quod est cõ-
positum ex pluribus, vnica indiuisibilis
est, partium omnium forma, ac Natu-
ra. Os etenim naturà durum est; Caro

mollis, media Cartilago, diuersus Neruus, & similia, esto omnia vnicum integrum constituant corpus, & per Animam, & ipsum constituitur homo siue vnum specie. Quis enim vnquam dicet, corpus, & Animam, Naturà vnum esse, aut Os, & Carnem, etiam in homine existentibus eandem habere naturam? Ignis igitur forma, non est speciei determinatiua, sed motiua, siue vt instrumentum, quo forma, quæ species est, vtitur ad suas motiones exercendas; Quare omnia carentia vità, carent calore, & calore deficiente, deficit omnis motus.

Idipsum docuisse opportet, & Platonem, & Democritum; quorum ille elementa ex planis, vtpotè formis, componebat, Terræ Cubum; Aquæ Sphæram, Quadratum Aeri, Pyramidem Igni attribuendo, quas tamen & in mistione retinebant. Democritus pariter, figuras, quas Athomis assignabat, earum eas formas esse opinabatur, & quæ Natura fuerat earum Athomorum, ex ijs omnibus misti consurgebat species,

cies, seu forma misti; Igitur non malè distinguitur forma, vt Species, & vt Natura.

CAP. XIIX.

De concursu seminis Vniuersalis, ad rerum productionem, & propagationem.

LVculenter, & acutè differit tandem Autor, de seminis Vniuersalis natura, eiusque triplici facultate, potiùs quàm compositione, Sulphureà scilicet Mercuriali Salinà; neque enim ex his, vt dictum, semen illud componitur, sed eorum naturam assumit, prout per elementa defluit; ideòque Sulphureus, ob calorem; Mercurialis, ob fluiditatem, Salinus, ob firmitatem: quasi vno verbo dicatur, Vniuersale Naturæ semen esse Ignem, seu calorē existentem in humido, cum habilitate ad fixitatem. Siue esse Vaporem calidum, aptum vt condensetur, & figatur. Non ego certè vel Naturam, vel Vni-

uersale semen, Sacratissimæ, ac ineffabilis Triados Mysterio exemplificabo, quod facit Autor pag. 328 quominùs eam censuram incurram, cuius immemor ipse, Melchiorem Cibinensem accusat. Vtut enim in omni naturali composito, aliqua desumi, ac considerari possit Triunitatis imago, non tamen Philosophicum duco, sublimia Theologorum arcana in humilis exemplum Naturæ, a Maiestate reuelationum accersere. Satis sit dignitati Naturæ, vt tanquam in speculo aut ænigmate, Omnipotentem Factorem repræsentet.

In sale ergo Naturæ omnia ea sita esse docet, quæ in Vniuersali semine desiderantur, seu continentur. Ego tamen aliud quippiam addendum opinarer, nimirum, non modò in sale naturæ, sed præcipuè in ipso Panspermate, seu spiritu Vniuersali, nondum in corpus salinosum coagulato, vapore nimirum, primordiali rerum Architecto latere. Hoc namque illud est, quod quærunt Sapientes, ad mira perpetranda rei vnius, posteaquam in corpus salinum,

ſed vniuerſale, concreuerit, non ſpecifico; in tali ſiquidem ſtatu, eſt idoneũ ad omnia indiſtinctè, ſpecificatus verò, non niſi ad particularia, ac ſpecifica. Ideòque qui eo vti deſiderat, ad opera naturæ diuerſi generis neceſſe eſt, vt non expectet, donec in corpus coaleſcat, cum corporum nullum exiſtat, quin in aliquo determinato genere iã ſit conſtitutum; cum namque in ſpecificam matricem deſcenderit, vti iam dictum, eius Naturam, ac indolem induit, ſolà virtute multiplicatiuà, ac plaſticà retentà. Quare ſuimet ipſius multiplicativum quidem eſt, ſed in eadem ſpecie, quam determinatam aſſumpſit.

Oſtendit poſtmodum Autor Omniũ fœcunditatum originem, eſse ſalem Naturæ, quod poſteaquàm ſapienter, ac ingenioſè probauit, obijcit ſibi, videri potius deſtructionum, quàm fœcunditatum eſse cauſam, ideòque Victores Populos, deletas Vrbes ſale cõſpergere ſolitos, vt inſinuarent, eas nunquàm vltrà germinaturas. Huius C.4.

au-

autem rationem reddit, ſimulque cauſam docet, quare loca, quæ Sale affluunt ſint ſterilia, his verbis. *Reſpondeo verum eſſe, Salem in ijs locis, vbi affatim, vel per Naturam creſcit, vel per hominum induſtriam elaboratur, inducere ſterilitatem: id tamen non ex Naturæ ſuæ defectu prouenire cenſeas, ſed quod in huiuſmodi locis, ob nimiam abundantiam, & virtutis attractiuæ efficaciam, quæ vniuerſum illum Salem intra ſubditas ſibi matrices latitantem ad ſe cogit, ſibi ſimilia vnit, ac proinde impediatur, quòminus terreſtres partes, ſuà fœcunditate beare valeat, vndè ſolummodò in dictis locis quæ ſibi ſimilium productioni intentus ſpectatur; ſuæ verò libertati relictus, omnia fœcundat, viuificat, nutrit, conſeruat, verè ab Hippocrate quod de Sulphurè, ideſt de Salè, ſulphureà vi prædito τὸ θεῖον, appellatur; atque adeò patet Veteres Alchymiſtas, vti in præcedenti libro fusè oſtendimus, per lapidem illum Philoſophorum, ſiuè Magnæ Artis tranſmutatoriæ Magiſterium, aliud non intellexiſſe, quàm hoc τὸ θεῖον, ideſt Salem Vniuerſale Naturæ ſemen &c.* Hinc demum Alchy-

miæ

miæ nomen, à Græco potiùs quàm Arabico desumptum dicit, & Halychimiã, seu Alchymiam idest salis fusionem appellatam.

Triplex est Sal, quod in terra reperitur; vsuale, nitrosum, & balsamicum. Vsuale illud est, quod vel in mineris foditur, cuiusmodi in Tyroli, Hala Saxoniæ, Poloniæ Regno. In Iuica Insula, & alibi habetur, quod vel ad instar ingentium columnarum effossum, passim in agris relinquitur, ad vsum pecudis; hoc etiam, immissis montanis fontibus in aquà soluitur, e quà postmodùm excoquitur, in sal nitidissimum, vti Halæ Oenipontanę, Salisburgi, & Halæ Saxoniæ dictum. Hoc est, quod per hominũ industriam etiam ex aqua marina conficitur, & omnia sterilia reddit, & quod Victores adhibuere, ad inspergendas Vrbes deletat. Nitrosum verò, ac Balsamicum ea sunt, quæ fœcunditatem rebus impertiuntur; quare scire cuperem, quorum illud sit, quod τὸ θεῖον, & Salem Sulphureà vi pręditum appellat, in quo admodum hæreo, si sal vsuale

intelligat Autor.

Addo horum nullum ex his esse, quod Philosophorum Mysterium dici possit, omne enim ab illo procedit; sed dum in salinam formam concreuit, vim Vniuersalem amisit, & vel Metallicum, vel Minerale, vel Animale, aut Vegetabile euasit; & quidem solius balsamici fœcundare munus esse constat, non illius quod humanà industrià conficitur, aut in edulijs assumitur. Quare neque assentiri possum rationi, quam reddit, de sterilitate per Sal inductà, quasi hoc magneticà vi aliud sal ad se alliciat, nunquam enim sal vidi, à sale attrahi; quod si dicas id fieri, cum in aquà soluitur; respondeo longè in hoc aliam esse rationem, & id fieri, quia dū aqua euaporatur, necessariò coit; quod si sali tartari mistum fuerit, cum eodem confunditur. Sed dato, id in eo accidere, quod in aqua soluitur, sanè de eo quod in terra est idem dici nequit; est etenim corporeum, siccum, terminatū, neque vllo pacto suo loco mouetur. Ratio igitur est, quia Sal hoc, est natu-

rà igneum, & ſiccum, quod indè ſuadetur, quoniam carnes ſalitæ, ac piſces à putredine ob huius ſiccitatem, igneāque naturam, ac terream mixtis componitur. De igne autem quod nullo pacto putreſcat, ſuprà à me citatus Philoſophus ſatis oſtendit; terram quoque aquà priuatam, nullo pacto putreſcere, docet experimentum; Salinum porrò illud corpus, ex vtriſque concreſcit, aquà mediante. Salis porrò balſamici, quod à cæteris ſegregatum, ad inſtar olei in igne incombuſtibile fluitat, ſi in tigillo igni carbonum apponatur, non eadem eſt ratio; hoc etenim fœcunditatem promouet, neque quantumuis affluat, vnquam dici poteſt, ſterilitatem inducere, & hoc eſt ſapore ab illo longè diuarſum, ſiquidem verè eſt amarum.

4. Me-th. c. 11.

An verò in hoc ſit Veterum Alchymiſtarum Arcanum, neque aliud eos intendiſſe, quàm ſolam rerum generationem, ſatis à nobis ſupra fuit oſtenſum. Hoc addo, ſi Alchymia dicitur Salis fuſio, non benè ſuum Philoſophicū

Lapidem Authorem de hoc Sale intelligere; exigua enim eſt ſcientia, hoc ſal habere, aut agnoſcere; neque hoc à Natura funditur; ergo ſi eſſe hanc opportet Artem fundendi Sal, de Metallico Sale, quod fuſionem ſuſtinet, eſt intelligenda, non de eo, quia non funditur, quin aut in Spiritum abeat, aut abſumptà ab igne ſalinosà humiditate conflatur in vitrum.

Curioſus eſt omninò qui ſequitur vſque ad finem diſcurſus, de origine eorum, quæ ex putri naſci dicuntur. Certum ſanè in ſalibus omnium rerum, (ſiue ea volatilia ſint, ſiue fixa) reſidere ipſius Animantis materialem Animam, neque eam omninò annihilari, ſed conſeruari, itaut acceptà occaſione, iterũ nouæ vitæ, eiuſdem, vel alius generis reſtituatur: Vtprimùm enim à viuente ſecernitur, ſeu quæ ei in alimẽtum ceſſerat cum corpore depaſto, ſeu quæ eodem Animante perempto, in varias partes diſtrahitur, aut ventis agitantibus, in varias terras rapitur, & ita Plantis, herbis aut ſtirpibus adhæreſcens,

occasione nactà, iterum reuiuiscit. Idē est de Vegetabilibus, quæ exoriuntur ex excrementis, seu quæ in locis nascũtur, vbi antea aliæ nullæ fuere; sicuti pariter de ijs, quæ in petris editissimis, siue Arbores, siue herbæ nasci repeririuntur, quas ad longum relatas, ingeniosè adaptat; vt scilicet vbiq; aliquid, aut seminum, aut salium, e vegetabiliũ cadaueribus desumptorũ eo loco fuerit delatum. De Berniclis, Anatibus siue Anseribus, quas in Scotia ex Arboribus nasci opinantur, arguta sanè est opinio, sed difficilis; nimirùm eas, ex ouorum fragmentis, quæ glacie disruptà in mare deferuntur Arborum stirpibus demum adhærescentia, siue nauium carinis. Vtut enim concedamus innumeram illam Anatum, Anserumve copiam, imò ouorum, quæ toti Europæ suffectura dicit, glaciei brumali commissa, disrupta tãdem, in Anseres, aut Anates pullulare, vix crediderim; ea etenim est Auium natura, vt quamprimùm ovum, vel tenuiter læsum sit in cortice, protinùs efficiatur inutile,

&

& abortivum. Quanto ergo magis inutilia erunt, oua omnimò confracta, & quæ omnimodam proportionem amiſerint albuminis, cum vitello? Ratio huius eſt, quia cum albumen pro corpore pulli inſeruiat, vitellum pro alimentò, donec excludatur e cortice; & ſpiritus albumini inſitus euaneſcit, & pabulum deſtructà proportione alimẽti inutile redditur, quare non cenſeo ex his nouas enaſci Berniclas.

Pro huius igitur rei aptiore declaratione, ſuppono, quæ ipſe Autor fusè proſequitur, herbis, .ſ. folijs radicibuſq; earundem, ineſſe quandam animantiũ ſimilitudinem, quam in filamentis, folijs, floribus, ac radicibus exprimunt, quemadmodum de Orchidibus, ſeu Satyrijs ad longum diſſerit, quam ſignaturam dicunt, & retinet quodammodò vim medicam peculiarem, pro membris, quæ ijs exprimuntur; ita Hermodactylus, pro articulis; Celidonia, pro oculis, & ſic de alijs.

Suppono inſuper experimenta inſectorum, quæ ex otijs ſeminibus enaſci re-

refert ex celebris Francisci Coruini Romani Botanici obseruationibus qui è variarum herbarum seminibus, exorta animalcula, & insecta; herbæ eiusdem foliis ac succo enutrita, tandem adulta, in alatum insectum excreuerint; de quo Author fol. 347.

Suppono tertio certos fructus, semper eiusdem generis vermes edere; Cerasa, Pira, Poma, Auellanæ nuces, & alia huiuscemodi. Quibus positis, si omnia nascantur, ex alicuius animãtis semine, quod in salibus cadauericis virtutem vitalem retineat, vel ab aliqua particula reseruata in Salibus, vel succo spermatico ijs rebus adhærescente, imperceptibile omninò est, quomodo huiuscemodi semina, semper statutis Plantis, aut fructibus, seu folijs ac floribus accedant; quæ namque semper & eodem modo fiunt, non casu, aut fortuitò, sed naturaliter accidunt. *Id enim quod à Fortuna, neque eius est, quod ex necessitate, & semper, neque eius quod est frequenter.* Phys. 2. t. 48. Hæc autem, & semper, & eodem modo eueniunt. Similiter, &

quæ casu, in eo .n. solo à fortuitis differunt, quod illa eueniant in ijs, quæ sine cognitione finis operantur: Fortuna siquidem, per Philosophum, *causa est*
Ib. t. 52. *per accidens, in ijs quæ secundum electionẽ eorum, quæ propter aliquid fiunt*; casus verò in ijs quibus nulla est finis cognitio.
Ib. t. 59. Hæc verò semper fiunt, non raro, ergo dici nequit ea per accidens, & fortuitò fieri. Cum igitur ita sit, quomodo ad formas, seu vim seminalem in salibus reliquam recurremus, quæ casu Plantis accedunt?

Aduerte tamen non negare me, salibus hanc vim animalẽ inesse; quinimmò in tam proximà potentià esse arbitror, vt ipsa animantia inchoata ijs inexistant. Experimento hoc dudum didici à Viro Illustriss. atq; Excellentiss. Petro Basadonna Venetæ Reip. Senatore Equite, Diuique Marci Procuratore Amplissimo: cuius Genius, & Ingenium ad maxima nati Reip. administrationi solertissimæ, sublimia secretiarũ notionum studia coniungendo, & rerum inferiorum peritiam summam, Cœ-

deſtium contemplatione adaugendo, pulcherrimam Animam inceſſanti adinuentionum pabulo nutrit. Hic poſt Hiſpanicam legationem ad Philippum IV, & Romanam ad B.M. Alexandrum VII P. M. in qua difficillimas Chriſtiani Orbis perturbationes obortas incōparabili virtute, ac prudentiā compeſcuit: Hic inquam Patriæ cum gloria redditus exactiſſimi Microſcopij mihi copiam fecit, quo minutiſſimarum quaruncunque rerum occultiora rimari licuit: Vbi inter cætera ponderatione digna, in aceto inſecta quædam obſeruauimus Anguillis, ſeu Mugili non abſimilia, quorum origo in aliud prorsùs referri nequit, quam in volatilem vini ſalem, qui vino corrupto, liberam vitali ſpiritui poteſtatem facit novum animantis corpus organizandi.

Quare dupliciter reſponderi poſſe videtur. Primò, in terra eſſe rerum omnium ſemina, & in aliquibus locis copioſiora, aliquarum rerum, rariora aliarum, quæ cum in ſalibus neceſſariò reſideant (ſiquidem in hoc, ſemen, & ſpe-

cificum, & Vniuersale quiescit) habent Plantæ quandam sympathiam ad talē, seu talem succum, quo cum ex natura sua, proximè nutriãtur, & nutriãt talia animantia, hæc mutuò, talem amãt succum, & eum in alimentum trahunt naturaliter, ideòque cum semine iam perfecto, Plantalis forma prædominari desistat, tunc forma, quæ in alimentum cesserat, sui quodammodò iuris facta corpus sibi efformat, quod tempore statuto in animal perfectum, siue insectum, pro seminis vigore consurgit.

Videmus autem hanc ad certa alimentorum genera inclinationem, & in animalibus,& in plantis esse, vt frustraneum sit id probare. Auenà equus vescitur, non itidem canis; ille fæno, non iste, & ne prolixiùs vaget, in omni cicurum genere id aduertitur; quare in hoc erit ratio naturalis, nec dubia, talis appetitus attractiui.

Alio modo id potest saluari (& me iudice satiùs) ex signatura; semen scilicet matricibus exceptum, protinus speciem assumere, & in illud exurgere

cuius organizatio proximior eſt, ſed ſub eadem forma: cum igitur faciliùs plantale, quàm animale corpus organizetur, ideò in Plantas enaſcitur: cum verò viuifico ſolis radio, & copioſiore Vniuerſalis ſeminis vi adaugetur, ſenſim animale corpus aſſumit, proximiore pariter organizatione arreptà.

Hoc autem probatum videtur in Geneſi, vbi terra omnium animantium ſpecifica ſemina in ſe recepit, lucis beneficio; quare ad nutum Creatoris, omne omnigenum Animal produxit. Non autem in ea omnis ſeminalis vis exhauſta fuiſſe dicendum, ſed adhuc partem eius reſidem extitiſſe, quæ licet labefactata ſit, non tamen extincta.

Idem eſt de aqua dicendum, e qua omne volatile eductum, eadem Sacra Geneſis refert: igitur & in ea ſemina ſpecifica latitant, quæ cum corpus idoneum è terrea maſſa conſequuntur, in volatile euadunt. Cum verò ex Arboribus decidua ſemina, vim in ſe animalem retineant, aquæ verò marinæ, vim pariter ſeminalem conſeruent, ex vtro- C. 1.

rumque commiſtione, corpus aliti efficitur, & organizatur, vnde genus illud Anatum emergit. Hoc ſanè pacto, & Berniclarum, & cæterorum ſpontè naſcentium originem clarè explanari poſſe cenſerem. Vndè eadem ratio eſt omnium aliorum inſectorum, quæ luculenter Author enarrat, earumque formas Aere inciſas affaberrimè exprimit, vt vel ob hoc vnum eruditiſſima alioquin, ac copioſiſſima eius opera digna ſint, quæ in omnium Studioſorum Naturæ manibus verſentur.

Haſce opiniones, quas dudum mecũ agitaueram, tantò alacriùs edere non dubitaui, quantò approbatas, & luce non indignas accepi, à Viro mihi amiciſſimo Thoma Herculano Sac. Th. D. Aquileienſi Canonico, ac Celeberrimi noſtri Patauini Archigymnaſij Bibliothecario; qui non modò humanarum literarum eruditione pollet, verumetiam Philoſophicarum, ac Sacrarum rerum ſtudijs detinetur: Viris melioris notæ, non poſthabendus. Huius inquã approbatione ſuffultus, has qualeſquales

les Physicas opiniones publicæ Doctorum censuræ committere non dubitaui; quas, si & ipsis comprobatas audiero, Deo bonorum omnium largitori Optimo, grates referam: Sin minùs, meæ imbecillitatis haud immemor, eorundem sapienti iudicio subscribere non tardabo.

Pro certo ergo statuimus, in omni etiam excremento, & cadauere, vitales animas materiales in eorum salibus reseruari, vel ex demortui anima, vel ex alimento reliquo decisas, quæ nullà alià formà vitali prædominante, ab alimento; ac Vita Vniuersalis seminis excitatæ, corpus sibi efformant; & cum eiusdem perfectionis animal nequeat reproduci, viuificà vi labefactatà, aliud restituant, pro organizationis facilitate, deterius.

Hinc ergo saluantur, omnia illa insecta, quæ è piris, pomis, cerasis, fabis, lente, alijsque leguminibus, ac fructibus oriuntur: quarum alia, ab extrinsecùs, accedente alieno semine, vt Auctor censet, oriri, alia ab intrinseco suc-

cto attracto in alimentum, sympaticà virtute, quod sibi ac sui iuris relictum, animale sibi corpus effingit. Docent hoc denique quotidiana experimenta, quibus videmus certis floribus, frondibus, corticibus, fructibus animalcula quædam adhærescere, ea oua isthic deponunt, quæ postmodum ab aliis depasta, vim non amittunt, sed cedũt potiori formæ, tempore idoneo sibi restituenda. Hoc autem an sit à priuatione ad habitum regredi, ipse iudicet Autor, qui hæc eadem docet; quæ de Auro, ac Mercurio negauit. Sed non esse à priuatione ad habitum regressũ, & ipse, & nos docuimus, cum idem omninò, non renascatur, sed aliud simile in natura, ac indiuiduo, ac forte deterius. Sed quid ni, si aliquando excellentius, si excellentiora media accedant, ad dispositiones aptiores, ac organa nobiliora?

Aliam tamen adhùc proximiorem in aliquibus causam assignari posse arbitrarer: videmus assiduè Muscarũ, Crabronum, Vesparum, Apium, Papilio-

num, aliorumq; id genus plurima, certis floribus delectari, ad quorum pascua volitando, ijs insident. Semina isthæc, aut oua, florum calicibus immittunt, cumque in fructus ipsi flores protuberant, eadem semina includũt; ideòque putrescente fructu, oua illa in vermiculos reuiuiscunt, quasi isthic naturali fota calore, temporisque successu, alas induunt, & in primi generis animal restituuntur. Hinc opus non est in huiuscemodi fœtibus, aut accidentia in virtute substantiæ operantia, aut ad cœlos, vt causas æquiuocas vniuersales, aut ad Deum, vt Authorem Naturæ parùm Philosophicè recursum facere; cum causas naturales vniuocas proximas liceat assignare.

Magna tamen hinc enasci apparet oppositio in Peripatetica doctrina, in qua videntur, omnes docere materiales formas corrumpi, & annihilari omnes. Quinimò in Thomistarum sententia in omni corruptione, resolutionem fieri vsque ad materiam primam, ergo dici nequit Peripateticè loquendo, aut

in salibus isthæc conseruari semina, aut cum aliquid in alterius alimentum cedit, ampliùs prioris compositi quidquã, præter solam materiam remanere.

Primò huic oppositioni Respondeo, Antiquorum hanc fuisse opinionem, qui cum Heroes recensebant, vt eorum fortitudinem ostenderent, eos ex Leonum, Tigridum, aliorumque ferocium medullis ali consueuisse asserebãt, quasi earundem ferarum animà aliti, earundem mores, ac vires inducerent.

Secundo Respondeo, experimento ostẽdi hæc animalia renasci, ex salibus aut cadaueribus, aut cineribus, quod vtique fieri non posset, vbi resolutio ad materiam primam fuisset facta, neque enim ratio vlla exigeret, vt eæ dispositiones ad tales formas conseruarentur, aut reproducerentur, nullà id substantiali formà exigente; quare ex effectibus manifestè ostenditur, hasce animarum particulas non interire.

1. de Diet. Tertio Respondeo si Hippocrati cõsentiamus, nihil omninò corrumpi, aut abire in nihilum, est namque impercep-

tibile,

tibile, quomodo id fieri possit, neque minor virtus ad creandum, quàm ad annihilandum videtur requiri.

Respondeo tandem, etiam in Aristotelis sententia, formas materiales non corrumpi, seu annihilari: pro quo Aduerte.

Aristotelem nunquam docuisse, formas generari, aut corrumpi, sed composita; de formis verò dici, eas de potentia in actum deduci; quare neque corrumpantur necessum est dicere, nihil enim corrumpitur in eius doctrina, nisi quod & generatur, & multò minùs in nihilum redigitur, quòd valdè obseruandum, cum namque probauero, formarum materialium, secundum Philosophum incorruptibilitatem, à fortiori longè, ex eius mente (licet abundè alioquin ex eius doctrinà, idipsum aliàs ostenderim) Animæ rationalis perennitas elucescet.

Sciendum igitur Philosophum, materiam à forma non nisi ratione separare, neque formam reale quid esse, ac separabile, tamquam rem à re, ab ipsa

ma-

2.Ph materia, ſed ratione ſolummodo; *for-*
yſ.t. *ma* enim inquit, *& ſpecies non ſeparabilis*
12. *exiſtens, niſi ſecundum rationem*; ideòque
materia duntaxat ſe ſolà acceptà, eſt
ſolummodo intelligibilis, quia inde-
terminata; indeterminatum verò ne-
quaquam exiſtit, hoc verò exiſtens eſt
2.de materia formata. Hinc docuit, mate-
gen.t. riam nunquam exiſtere poſſe ſine con-
6. trarietate, quia per hanc determina-
tur, contraria enim ſunt ſemper in cer-
to genere, ac determinato. Colligitur
hoc ipſum vel ex eo, quod materia di-
catur eſſe quaſi non ens, ex eoquod
1.Ph conſiderata ſe ſola, & abſtracta ſemper
yſ.t. 75.et annexam habeat priuationem, quare
78. ſequitur ſolo conceptu, non re à forma
ſeparari, cum enim ea priuationem di-
cit, eſt non ens.

Generari ergo forma non poteſt, cũ
à materia, ingenerabili, & incorrupti-
bili, re non ſeparetur, ergo neque cor-
1.Ph rumpi, eſt enim forma, re, ipſa materia
yſ.t. terminata; ſed quod generatur, eſt ip-
82.
2.Ph ſum compoſitum, quòd à materia ter-
yſ.t. minata dicitur ſimpliciter tale.
15.

His

His igitur positis, neque forma annihilabitur, sed compositum corrumpetur; compositum autem corrumpi, nihil aliud est, quàm desinere esse hoc quod erat, non quod eius partes resoluantur in nihilum, sed partes, quæ remanent, sunt elementa, e quibus cōponebatur. Meth r. 1. c. vlt. 2. de gen. anim. c. 5.

Veluti igitur semen nondum decisum, viuit potentià remotà, eoquod nullum exerceat actum vitalem, cum verò decisum fuerit viuit actu primo, seu potentia proxima; ita pariter, cum corpus seu compositum dissoluitur, vis illa non annihilatur; *quod enim in eo est semen, proportione respondet elemento stellarum*; ideoque aliud est ab elemento corruptibili, cum simile sit incorruptibili. Restat ergo soluta difficultas, vel ex mente Philosophi, seminis, ideòq; & animæ vegetabilis, & animalis incorruptibilitas, cum eæ à materia non distinguantur realiter. 1 De Gen. Ani. c. 3.

Sed adhuc vrgebis; ergo si forma à materia non distinguitur, re, compositum erit sola forma, puta ignis aer, &c.

Si-

Similiter Equus Leo; &c. Respondeo in ijs quæ elementa simplicia dicuntur, omninò ita esse, neque ea componi ex entitatibus distinctis, & realiter separabilibus; non tamen ita sunt elementa, quæ sunt principia mistorum, & de quibus solummodò aït Philosophus 2. de generatione, hæc namque sunt composita. Pro quo aduerte idem esse de forma naturali respectu materiæ primæ, quod de artificiali, respectu artificiati, docet etenim materiam primam non sciri, nisi analogia
1. Ph ad res artificiatas *subiecta autem natura*
ys t. *scibilis est, secundum analogiam, vt enim*
69. *ad formam æs, aut ad formam materia*, & paulò inferiùs, *non sic vnum existens, neq; sic ens, vt hoc aliquid*. Quemadmodum igitur in arte factis, forma nihil est à materia distinctum, vt eà cessante dicatur annihilata, ita neque in naturalibus. Sanè cum ex Aere fit Statua, & rursus ex eodem iterum fuso, fit aliud, non dicitur forma statuæ abijsse in nihilum, sed non esse ampliùs Aes in eam formam formatum. Similiter, cum do-

mus destruitur, nihil nisi materiæ coordinatio tollitur, aut destruitur, quod propriè loquendo dici nequit annihilatam scilicet esse eam formam, cum ea fuerit re verà, ipsa sola materiæ cópositio. Forma igitur est ipsius materię terminus, seu complementum in certa specie, aut genere, à qua re non differt, sed solà ratione. Patet vel maximè in Mathematicis, in quibus figura constituitur à terminantibus lineis, hæ verò à figura non nisi ràtione distinguuntur; ita peripheria à Circulo, laterà à Triãgulo, aut Quadrato.

Ratio à priori est; quia illud ipsum à parte rei, quod est actu, est illud ipsum quod erat potentià; potentià verò dicitur materia; actus forma; sed actus nò distinguitur ab esse actu, sed est omninò idem, ergo id quod erat potentià; & quod est actus; per actum namq; formaliter rēs est actu non distinguuntur. Cum verò de appetitu materiæ ad formam loquitur Philosophus, in quo videtur duo distinguere, intelligendus est de materià quàtenus à forma ratione

ne diſtinguitur ac ſi diceret, id quod poteſt eſſe, appetit, vt ſit; eſſe autem ab eſſe non diſtinguitur.

Notandum demùm, ex materia prima ſimplici, nunquam cum ſimplici forma diſtincta quidquam fieri, etiam ex mente Philoſophi, ſed ex materia ſecunda; quod inde patet; quia ad omnẽ generationem præcedunt diſpoſitiones; ergo nunquam ex ſola materia prima cum forma ſola fit aliquid, ſed ex materia ſecunda, hæc autem ſemper eſt mixta. Quod ſi adhuc velis habere hanc appetitum realem ad formã, ſaltem naturalem, dicas eſſe ad formã miſti, cum omne miſcibile appetat naturaliter miſceri.

Et hæc ſunt, quæ non contradicendi ſtudio, ſed Veritatis amore examinenda Lance Peripateticà aſſumpſerã. Primò etenim demortuorum Philoſophorum patrocinium, (Equorũm ſapiẽtiſſimis ſcriptis, ſiquid in me eſt, Naturalis cognitionis, hauſtum profiteor) quod negligendum non cenſui. Non vt Autori opponam quem ſumma ve-

ne-

neratione prosequor, tum ob Veterẽ, etsi breuem quæ mihi cum ipso necessitudo intercessit, tum præcipuè ob occultarum rerum studium, & quod à Viris summis, ac Senatoribus præstantissimis Patronis meis gratiosissimis, quorum nomina in hac Lance sum veneratus eum magni fieri cognouerim, tum demum quod induci nequeam, vt mihi persuasum habeam, hunc in Philosophos Clarissimos calamum acuisse, sed in perditos Nebulones; neque vt verã, ac nobilissimam Artem, pariter, & occultissimam insectetur, eamque absolutè vanitatis, aut falsitatis redarguat, sed ad arcendum eos, qui sine præuia Philosophia, ex mera, ac vana Auri cupidine, sese huic totos dedunt; quo fit, vt ad paupertatem, & desperationem redacti, animam in vtràque vità periclitentur. Proptereaque inutiles illas ac inanes rationes induxisse, quæ ab Aduersantibus efficacissimæ habentur, vt appareat clarè nihil esse, quod tantæ veritati officiat. Quod si quæ dixerim, quæ acrimoniam aliquam sapere

videantur, joco eà, non seriò a me pr
lata agnoſcat velim, ac deprecor;
ſiquæ Naturæ minus conformia di
animaduerterit, eius ſummi ingen
perſpicacitati cenſenda ſubmitto, c
jus Sapientiſſimis placitis (agnito er
rore) indubitanter aſſentiar.

FINIS.

